BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
C
64
NAPOLI

XVIII
C-64
~~23.~~

JURIS NATURALIS
ELEMENTA

AUCTORE

J. J. BURLAMAQUI

IN REPUBLICA GENEVENSI
SENATORE, ET ANTEHAC JURIS
NATURALIS ET CIVILIS
PROFESSORE.

Inscript. Biblioth. Soc. J.

VENETIIS,
Apud JOSEPHUM BORTOLI.

M DCC LVII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

AD LECTOREM
INTERPRES.

ECce tibi paucis, Benigne Lector, Operis ſpecimen, quod, dum in vivis eſſet, evulgavit Gallice, non minus ſanctitate morum, quam ſumma Juriſprudentia inſignis Burlamaquius. Adverterat emunctæ naris Vir ille, ſi quis unquam, rudes etiamnum infirmoſque adoleſcentum animos gravibus Civilium Legum aut Juris Gentium commentariis onerari, cum necdum Naturales Leges compertas haberent, qui tamen proximus fons eſt quo ad veram Juris Civilis Gentiumque notitiam poſſit perveniri. Itaque Burlamaquius genuina Legum Naturalium inveſtigavit & enucleavit Principia, quorum Principiorum ope ad Jus Civile Gentiumque tutiori tramite incederetur. Vix in lucem prodierat opus hoc Gallice conſcriptum, cum non tantùm in Gallia, ſed & apud exteras Gentes quicumque ſciunt Gallice, iſthæc Naturalis Juris Principia multo plauſu exceperint. Quæ me ratio potiſſimùm impulit, ut in gratiam ſtudioſæ juventutis Gallice neſcientis, eadem Principia Latine interpretarer. Ceterum quo ſtylo hanc materiam proſequutus ſim, & quam inierim interpretandi methodum, uno

verbo dixerim alterove. Adnotaram Burlamaquium ſæpe ſæpius evolvendo, quod ille Ciceronis Officiorum tanquam ſuccum expreſſiſſet, cujus etiam in ſcribendo rationem Gallice imitatus pleniori ſtylo argumentum ſuum tractavit. Ego igitur eadem Ciceronis Officia diurna nocturnaque manu verſavi, quo me pro viribus ad ſimilem ſcribendi modum vel tantillum componerem: quanquam non ſemel, ob majorem perſpicuitatem brevitatemque, eas voces uſurpavi quas hodiernæ Scholæ fecerunt ſui juris.

PRÆFATIO
DE VITA ET SCRIPTIS
BURLAMACHII.

JOHANNES JACOBUS BURLAMACHIUS, *Johannis Ludovici*, Genevenſis Senatoris, filius, ex nobili proſapia Italo-Lucenſi, matre autem generoſa & piiſſima femina *Suſanna* FAVRE, natus eſt Genevæ, die Julii 13. anni 1694.

Huic puero cum nec morum, utpote in ſancta domo, nec ulla ingenii cultura deeſſet; non tantum bonas litteras, ſed elegantiores artes, Muſicam, Picturam, Architecturam, & omne genus amœnitatis ſtudioſe colebat. Adoleſcens oculari morbo captus, cum plus meditando proficeret quam legendo, hinc ſibi magnam vim ratiocinandi, corpuſque animo ſubjiciendi, adeptus eſt.

Poſt demenſum Philoſophiæ (ſcilicet Carteſianæ) ac deinde Legalis Diſciplinæ ſtadium, non ſine multa laude Juriſprudentum & Cauſidicorum albo fuit adſcriptus.

Uxorem duxit filiam docti Juriſconſulti Conſuliſque primarii *Jacobi* DE CHAPEAUROUGE, ex quo conjugio non aliam reliquit prolem quam filiam tali patre digniſſimam.

Anno 1722. factus Profeſſor Juris Naturalis, impetravit ut biennium exſpatiari poſſet per Gallias, Bataviam, Angliam & Helvetiam; quod fecit ut plurimum cum amiciſſimo Vi-

re *Amadeo* Lullino, jam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſore, hujuſque Athenæi Rectore clariſſimo. Uterque ex tali itinere haud mediocrem retulit ſeu doctrinæ fructum, ſeu florem urbanitatis, ſeu laudem apud exteros.

Abſens Burlamachius inter *Ducentum-Viros* (qui major eſt Reipublicæ noſtræ Senatus) numeratur. Domum reverſus, Juris quoque Civilis Cathedram cum annuo ſtipendio obtinet, adjuncto ei Collega *Johanne* Cramero, quem nunc inter Magiſtratus primi ſubſellii ſedentem videmus. Nam hoc fere Genevæ fauſtum contingit, ut ex Philoſophiæ Juriſve pulpito Doctores ad regendam Civitatem haud raro admoveantur.

Poſt obitum patris, noſter, utpote primogenitus, fratribus ſuis atque ſororibus pro patre erat; remque domeſticam, olim amplam, deinde coarctatam, pari æquitate ac prudentia curabat, ceteris pluſquam ſibi conſulens. Illis autem fere omnibus, quanquam ipſe corpore debilis, cum luctu ſuperſtes remanſit.

Præter officium publicum, quo diligenter fungebatur, multos privatim docebat adoleſcentes ex quavis Europæ parte nobiliſſimos, Barones, Comites, imo Principes, quos ſapientia ejus cum ſumma perſpicuitate & humanitate conjuncta ad diſcendum alliciebat. Illis gallice delineavit *Principia Juris Naturalis, Politici ac Civilis*, quo libro manuſcripto ipſe in docendo uteretur, identidem aliquid, ut fieri ſolet, emendans. Si quis vero deſcribere vellet, non valde recuſabat; unde factum ut codices hujus operis manuſcripti complures huc illuc circumferrentur.

In

In ſolemnibus Academicis oravit ſæpius ac diſſeruit de variis argumentis; nec non Theſes defendebat publicas, cujuſmodi extat Diſſertatio ſatis ampla *de Matrimonio*.

Anno 1734. Fredericus *Haſſiæ* Princeps, poſtquam biennium Genevæ commoratus eſſet, domum repetens, hunc ſibi comitem in aliquot menſes aſſumpſit; nec minore benevolentia eum in palatio ſuo excepit Princeps Gulielmus *Frederici* pater, nunc *Landgrafius Haſſiæ*, totaque Aula *Caſſellana*, utpote virum non modo eruditum, ſed & nullius elegantiæ expertem.

Et ſane illius fuit in patria cultores Artium in pretio habere, tabulas ſeu pictas, ſeu æri inciſas deligere, de præſtanti quolibet opere recte judicare, cum doctis jungere amicitiam, juvenes ab Epicureiſmo & luxuria revocare; de ſervanda fide, modeſtia, frugalitate; de præſtantia Doctrinæ Evangelicæ; de recte adminiſtranda Republica; de pietatis ac civilis prudentiæ nexu, de concordia omnium ſcientiarum, de colenda inter bonos amicitia, optime omnium ſentire; & ſi quod inſtitutum vel ad puerilem diſciplinam pertineret, vel ad acuendam civium induſtriam, vel ad quodlibet publicum privatumve commodum; id conſilio ſuo, pecunia, & authoritate, qua magna apud omnes ordines pollebat, juvare ac promovere.

Inter tot officia, ei pulmonum labe laboranti neceſſe fuit, anno 1737. a docendo abſtinere; at vero tantum efficiebat, ſeu equitando, ſeu diæta accuratiſſima, ut fractam valetudinem aliquandiu ſuſtentaret.

Quapropter ſumma omnium voluntate placuit

cuit hunc etiam reluctantem ad Senatoriam dignitatem promovere anno 1742. menſe Octobri. Namque, etſi aſſiduam in Curia navare operam minus poſſet, ſatis habebatur ſi modo in majoribus aut perplexis negotiis tanta luce Reſpublica non careret.

Creſcente morbo, ei tandem perſuaſum eſt ab amicis, ut *Principia Juris Naturæ* gallice ſcripta typis ipſe mandaret, ne eo etiam nolente, ſpuria aliqua erumperet editio. Hujus ergo curis liber in lucem editus eſt Genevæ *in* 4. ſub finem anni 1747. Quod opus multo plauſu exceptum, ſtatimque Pariſiis *in* 8. necnon Londini Anglico idiomate editum, jam latinitate donatum hic traditur.

Vix dum huic libro noviſſimam manum admoverat Vir Egregius, quando penitus conſumptus, die ſexta Aprilis, anno 1748. inter piiſſima colloquia, ſpirare deſiit, antequam annum ætatis quinquageſimum quintum adtingeret.

Ex illius teſtamento litterariæ ſuppellectilis pars aliqua ad Bibliothecam publicam traducta eſt.

Poſt ejus obitum Genevenſis Typographus eadem forma *in* 4. *Principia Juris Politici* gallice evulgare non dubitavit, anno 1751. ſcilicet ex multis codicibus quam accuratiſſime potuit collecta, non autem qualia ipſe Author, ſi per tempus licuiſſet, caſtigaturus erat.

Atque hæc de vita & ſcriptis BURLAMACHII pauca. Quales autem ejus mores eſſent, qualis ingenii color, graphice deſcriptum videris in ſubjuncto Epicedio, quod in ejus obitum quaſi funebrem cantum plangens fecerat amicus.

EPI-

EPICEDIUM.

ERgo Burlamachi mens ſana generoſa, docta,
Corporis exilis infirmique exuvias poſuit,
Illuc ſcilicet avolans unde delapſa erat
Nos linquit in hoc cœno morantes mœſtoſque.
Ei lux ingenii pura fulgebat,
Cum ſumma integritate
Ac ſuavitate morum.
Juris doctor moralem ac civilem tradebat ſapientiam,
Aperiendi veri, ſuadendique præcipuus artifex,
Et lingua & ſcripto nitidus.
Senator Civitatem æquis
Conſiliis temperabat.
Multos bene monendo
Ad rectum leniter trahebat.
Artium elegantiorum cultor,
Nullius non urbanitatis homo,
cui
Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.
Familiaribus vero quam gratus & concinnus, ad delicias uſque!
Inter ipſas facetias decorus.
Denique (quod ſummum) vir bene Chriſtianus,
Hinc ſanctioris vitæ tramitem,
Hinc æquanimitatem ac frontem ſerenam,
Hinc habuit ſolatia morbi mortiſque,
Ad beatas ſedes facile properans.

Egregii memoriam recolere Amici
Amicos juvat.

J. VERNET, *cum amicis.*

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia nel libro Intitolato *Juris Naturalis Elementa Auctore J. J. Burlamaqui*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concedemo Licenza a Giuſeppe Bortoli Stampator di Venezia che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 22. Novembre 1756.

{ *Zuanne Querini Proc. Rif.*

{ *Barbon Moroſini Kav. Proc. Rif.*

{

Regiſt. in Lib. a c. 53. al n. 528.

Giacomo Zuccato Seg.

Adi 23. Novembre 1756.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Franceſco Bianchi Seg.

IN-

INDEX

Capitum et Paragraphorum.

PARS PRIMA.

De Elementis Juris in univerſum.

CAPUT I.

De natura hominis quantum ad Jus ſpectati, de Intellectu, & ad Intellectum pertinentibus.

§. I. *Quid in hoc Opere ſibi velit ſcriptor: Quid ſit Jus Naturale.* Pag. 1

§. II. *Juris Naturalis elementa deducenda ſunt ex ipſa hominis natura, indole, & conditione.* 2

§. III. *Hominis Definitio: Quæ ſit ejus natura.* 3

§. IV. *Hominis diverſæ actiones: Quænam actiones in jure conſiderentur.* 4

§. V. *Præcipuæ mentis facultates.* 5

§. VI. *De Intellectu: Quid ſit Veritas.* 6

§. VII. *Præceptum. Intellectus ſuapte natura rectus eſt.* 7

§. VIII. *Quomodo rerum fiat perceptio. De animo rebus objectis intento, eaſque investigante.* 8

§. IX. *Evidentia. Probabilitas.* 9

§. X. *Quid ſint ſenſus, quid imaginandi vis, quid Memoria.* 10

§. XI. *Intellectus perfectio ſita eſt in veritatis cognitione. Cujus perfectionis duo ſunt impedimenta Ignorantia & Error.* 11

§. XII. *Errorum varia genera:* 12

1. *Error Juris vel Facti.* 2. *Voluntarius & non voluntarius.* 3. *Eſſentialis & Accidentalis.*

CAPUT II.

Principiorum ſeries de natura hominis; de Voluntate & Libertate.

§. I. *De Voluntate; quid ſit Felicitas, quid Bonum.* 15

§. II. *Inſtinctus, Propenſiones, Cupiditates.* 16

§. III. *Libertas in quo conſiſtat.* 17

§. IV. *Libertatis uſus in noſtris judiciis quoad veritatem.* 19

§. V. *Libertas ſuum uſum habet & quidem quoad res evidentes.* 21

§. vi. *Libertatis uſus quoad bonum malumque.* 22
§. vii. *Libertatis uſus quoad res indifferentes.* 23
§. viii. & ix. *Cur libertatis uſus coerceatur intra genus veritatis non evidens, & bona tantum ſingularia complectatur.* 23 & 26
§. x. *Libertatis argumentum, quod ex ſua cujuſque conſcientia deducitur, ceteris omnibus argumentis praſtat.* 27
§. xi. *Quare libertas in dubium adducta ſit.* 30
§. xii. *De Actionibus voluntariis & non voluntariis, liberis, neceſſariis & coactis.* 32
§. xiii. *Humana facultates ſe invicem juvant.* 35
§. xiv. *Quid ſit Ratio, quid Virtus.* ibid.
§. xv. *Undenam tam diverſa ſit hominum agendi ratio.* 37
§. xvi. *Rationis jura ſemper ſalva manere poſſunt.* 38

CAPUT III.

Homo, ita ut antea dictum eſt comparatus, Directionem moralem admittit, actionumque ſuarum rationem ideo redditurus eſt.

§. i. *Hominis agendi ratio directionem admittit.* 39
§. ii. *Actionum ſuarum rationem redditurus eſt, illæque ei merito imputantur.* 40
§. iii. *De imputabilitate principium, quæ confundenda non eſt cum imputatione.* 41

CAPUT IV.

In quo pergitur eorum inquiſitio quæ ad naturam humanam pertinent, varios ſcilicet ſtatus hominis explorando.

§. i. *Definitio. Diviſio.* 42
§. ii. *Status primigenii innatique. 1. Status hominis quod ad Deum attinet.* 43
§. iii. *2. Status Societatis.* ibid.
§. iv. *3. Status ſolitudinis. 4. Pax: Bellum.* 44
§. v. *Hominis ſtatus quantum ad bona terrena.* 45
§. vi. *Status ſupervenientes vel Adventitii: 1. Familia. 2. Matrimonium.* 46
§. vii. *3. Hominis in ortu ſuo imbecillitas: 4. Liberi natura parentibus ſunt obnoxii.* 47
§. viii. *5. Dominii ſtatus.* 48
§. ix. *6. Status Civilis, adminiſtratio publica.* ibid.
§. x. *Ex ſtatu Civili & rerum dominio dimanant plures alii ſtatus adventitii.* 49
§. xi. *Quis vere ſit ſtatus naturalis hominis.* 50

§. xii. *Sta-*

§. XII. *Statuum primigeniorum & adventitiorum differentia*. 51

CAPUT V.

In ſuo vivendi modo debent homines Regulam ſequi: Quæ ſit ratio hujus Regulæ inveniendæ, tum quæ ſint in univerſum Juris Fundamenta.

§. I. *Quid ſit Regula*. 52
§. II. *E re non eſt ut homo vitam agat abnormem*. ibid.
§. III. *Regula præſupponit ſcopum, finem*. 54
§. IV. *Hominis felicitas ultimus ejus finis eſt*. ibid.
§. V. *Boni cupiditas Providentiæ ſyſtema eſt*. 55
§. VI. *Homo natura felicitatem cupit, quæ cupiditas non poteſt a Ratione ſejungi*. 56
§. VII. *Noſtri ipſorum amor principium eſt neutiquam ex ſe pravum*. ibid.
§. VIII. *Felicitatem homo non poteſt aſſequi niſi Rationis ope*. 57
§. IX. *Ratio eſt hominis primigenia Regula*. 59
§. X. *Quid ſit in univerſum Jus ſeu Rectum*. 60

CAPUT VI.

Generales vivendi Regulę quas Ratio pręcipit. De natura Obligationis, & primis ejus fundamentis.

§. I. *Varias inſtituendæ vitæ Regulas Ratio præcipit*. 61
§. II I. Regula. *Bonorum malorumque verum diſcrimen habere*. 62
§. III. II. Regula. *Quæ ab hominis natura ſtatuque prorſus aliena ſunt, in iis vera Felicitas ſita eſſe nequit*. 65
§. IV. III. Regula. *Præſentia & futura inter ſe comparanda*. IV. Regula. *Non appetendum bonum ex quo ſequetur majus malum*. V. Regula. *Malum perpeti ex quo certo gignendum eſt majus bonum*. 66
§. V. VI. Regula. *Minori bono majus bonum anteponendum eſt*. 67
§. VI. VII. Regula. *Aliquando ſuſcipienda res, vel quia poſſibilis, vel multo etiam magis; quia veriſimilis*. 68
§. VII. VIII. Regula. *Vera bona ſapere*. 69
§. VIII. *Humana mens ultro aſſentitur his noſtris præceptis, quibus in agendo debemus obſequi*. 71
§. IX. *Quid ſit Obligatio generatim ſpectata*. 72
§. X. *Obligationis vires poſſunt eſſe aut validiores aut remiſſiores*. 73

§. XI. Sen-

§. XI. *Sententia Clarkii de natura & origine Obligationis.* 74
§. XII. *Barbeiracii in hoc idem argumentum ſententia.* 75
§. XIII. *Duo Obligationis genera, Obligatio interior; Obligatio Exterior.* 77

CAPUT VII.

De Jure prout eſt Facultas, & de adjuncta huic Juri Obligatione.

§. I. *Juris vocabulum diverſas ſignificationes obtinet, quæ ſingula fluunt ex illius generali definitione.* 79
§. II. *Quid ſit Jus pro facultate acceptum.* 80
§. III. *Non debet mera Potentia pro Jure accipi.* 81
§. IV. *Quo generali fundamento Jura nitantur hominis.* 82
§. V. *Jus parit Obligationem.* 83
§. VI. *Jus & Obligatio mutuo ad ſe referuntur.* ibid.
§. VII. *Quo tempore Jus & Obligatio in hominem cadant.* 84
§. VIII. *Jura & Obligationes multiplici genere continentur.* 85

CAPUT VIII.

De Lege generatim ſpectata.

§. I. & II. *Homo natura alteri naturæ obnoxius eſt, unde humanarum actionum Lex debet eſſe Regula.* 88 & 89
§. III. *Definitio Legis.* 90
§. IV. *Cur Lex definiatur Regula præſcripta.* 91
§. V. *Quid ſit Princeps, quid Principatus, quid Jus imperandi.* 92
§. VI. *Quænam ſint fundamenta genuina Imperii, ſeu ſummi Dominii.* 94

CAPUT IX.

Imperium ſeu Jus Imperandi quibus fundamentis nitatur.

§. I. I. Adnotatio. *Hic quæſtio movetur de neceſſario Principatu.* 94
§. II. II. Adnotatio. *Inter eos quorum eſt eadem prorſus natura conditio, neque Principes neque ſubditi neceſſarii ſunt.* 95
§. III. *Variæ de imperii origine & fundamento ſententiæ.* 96
§. IV. *Superiores opiniones excutiuntur. 1. En ſola virium præſtantia imperandi jus non exiſtit.* 98
§. V. 2. *Neque ex ſola naturæ præſtantia jus imperandi eſt.* 99
§. VI. 3. *Neque ſola ſufficit qualitas Conditoris.* 100
§. VII. *Imperii vera fundamenta ſunt Poteſtas, Sapientia, Benignitas ſimul juncta.* 102
§. VIII. *Sententiæ noſtræ expoſitio.* 103

§. IX. *Quæ ſummi Principis jus conſtituunt qualitates alia ab aliis non ſunt ſejungenda.* 106
§. X. *Quinam ſint ſubditi. Imperii fundamenta.* 108
§. XI. *Non poteſt obligatio perfectior excogitari quam quæ a Lege proficiſcitur.* 109
§. XII. *Quam dicimus obligationem, ea ſimul interior & exterior eſt.* 110

CAPUT X.

Quis Legum Finis, quæ Natura, quæ ſint Diſcrimina.

§. I. & II. *De fine Legum quantum ſpectat ad ſubditos & ad ipſum Principem.* 112
§. III. *Is Legibus finis propoſitus eſt, non ut libertas coarctetur, ſed convenienter dirigatur.* 113
§. IV. *Illud expenditur quod Puffendorfius in hoc argumentum protulit.* 114
§. V. *Diſtinguitur Lex in Legem obligantem, & in Legem mere permittentem.* 115
§. VI. *Grotii & Puffendorfii in præſens argumentum ſententia.* 116
§. VII. *Jura hominum permiſſione Legis fundantur.* 117
§. VIII. *Quæ ſit materia Legum.* 118
§. IX. *Quænam ſint interiores conditiones Legis: Debet eſſe poſſibilis, utilis, & juſta.* 119
§. X. & XI. *Quæ ſint Legis conditiones exteriores: Lex promulganda & ſancienda eſt.* 119 & 120
§. XII. *Legis Sanctio, ita ut in pena comminatione, poteſt-ne etiam in promiſſa mercede contineri?* 121
§. XIII. *Quinam teneantur Lege. Quid ſit privilegium.* 122
§. XIV. *Quanto tempore durent Leges, & quemadmodum aboleantur.* 123
§. XV. *Quotuplicis generis ſint Leges.* 125

CAPUT XI.

De humanarum actionum Moralitate.

§. I. *Quid ſit Actionum Moralitas.* 126
§. II. *Actiones ſunt 1. vel præſcriptæ, vel prohibitæ, vel permiſſæ.* 127
§. III. *In actiones permiſſas adnotationes.* 128
§. IV. *2. Actiones ſunt bonæ vel juſtæ, malæ, vel injuſtæ, aut indifferentes.* 129
§. V. *Quæ conditiones requirantur ut actio ſit moraliter bona.* 130

§. VI. De

§. vi. *De natura actionum malarum vel injuſtarum.* 131
§. vii. *Omnes actiones juſtæ ſunt æqualiter juſtæ, ſed actiones injuſtæ ſunt plus minuſve injuſtæ.* 132
§. viii. *In quo potiſſimum ſita ſit actionum injuſtitia.* 133
§. ix. *De actionibus Indifferentibus.* ibid.
§. x. *Bonarum & malarum actionum diviſio.* 134
§. xi. *De Juſtitia, ejuſque diverſis ſpeciebus.* 135
§. xii. *Actionum inter ſe comparatarum quæ fiat computatio.* 137
§. xiii. *Itaut de actionibus ſic & de hominibus ipſis moralitas dicitur.* 138

PARS SECUNDA.

De Legibus Naturalibus.

CAPUT I.

Quid ſit Lex Naturalis. Datur Lex Naturalis Conſiderantur 1. Exiſtentia Dei, ejuſque in nos Auctoritas.

§. i. *Hujus alterius partis argumentum.* 140
§. ii. *Quid ſit Jus Naturale, Lex Naturalis, & Juriſprudentia Naturalis.* 141
§. iii. *An ſint Leges Naturales.* ibid.
§. iv. *De Exiſtentia Dei.* 142
§. v. 1. *Argumentum. Neceſſaria eſt natura per ſe exiſtens & intelligens.* ibid.
§. vi. *Æterna & Intelligens Cauſa extra hunc Orbem inquirenda eſt.* 144
§. vii. 2. *Argumentum. Primi Motoris neceſſitas.* 145
§. viii. 3. *Argumentum. Structura, ordo, & pulchritudo Orbis.* 146
§. ix. *Orbis non coaluit fortuito.* 147
§. x. *Nec mundus æternus eſt.* ibid.
§. xi. *Deo competit Jus Leges præcipiendi.* 150
§. xii. & xiii. *Deus ideo præcepit Leges, quia potens, quia ſapiens, quia bonus eſt.* 151

CAPUT II.

Deus propter ſuum in nos imperium voluit revera nobis Leges præſcribere, ſeu noſtræ agendi rationis Regulas.

§. i. *Suo Imperii Jure Deus utitur Leges nobis præſcribendo.* 154

§. ii. 1. *Ar-*

§. II. 1. *Argumentum hinc ex Deo, illinc ex hominibus deductum.* ib.

§. III. 2. *Argumentum deductum ex fine quem ſibi quoad hominem popoſuit Deus, & en Legum Moralium neceſſitate, ut hic finis obtineatur.* 155

§. IV. *Superiora argumenta confirmantur.* 157

§. V. 3. *Argumentum ex Dei benignitate deductum.* 158

§. VI. 4. *Argumentum deductum ex agendi Regulis quas revera in nobis deprehendimus.* 160

§. VII. *Humanæ menti ea ſunt ingenita principia ut ſuapte natura homines obligent.* 161

§. VIII. *Ea Dei voluntas eſt ut poſitis principiis obligemur, unde ſunt veræ Leges.* 162

CAPUT III.

Quæ ſint Rationes ſecernendi Juſtum ab Injuſto, ſeu Legis Naturalis præcepta dignoſcendi, nimirum 1. Inſtinctus Moralis, 2. Ratio.

§. I. *Prima Ratio dijudicandi bonum & malum morale, ſcilicet inſtinctus vel ſenſus.* 163

§. II. *Exempla.* 164

§. III. *Cur ita ſimus affecti.* 165

§. IV. *Quid proſit nos ita affectos eſſe.* 166

§. V. *Objectio : Hi ſenſus in ſingulis hominibus non deprehenduntur. Reſponſio :* 1. Eorum *veſtigia etiam in gentibus immaniſſimis deprehenduntur.* 167

§. VI. 2. *Diſtinguendus eſt naturalis ſtatus hominis ab ejuſdem ſtatu depravato.* 168

§. VII. 3. *Si quæ ſint moralia monſtra, rariſſima quidem illa ſunt, nec inde contra noſtram ſententiam quidquam colligitur.* 169

§. VIII. *Non ſolum Inſtinctus, ſed & Ratio data eſt ad dignoſcendum Bonum & Malum morale.* ibid.

§. IX. *Ratio Inſtinctui præſtat.* 1. *Quoniam arguit an verus ſit Inſtinctus.* 171

§. X. 2. *Inſtinctui Ratio præſtat, quia principia enucleat & ex his conſequentias deducit.* 172

§. XI. 3. *In hoc etiam Inſtinctui Ratio præſtat ; quod omnibus in univerſum rebus applicetur.* ibid.

CAPUT IV.

Ex quibus principiis poſſit Ratio Naturales Leges deducere.

§. I. *Unde Naturalium Legum principia deducantur.* 174

§. II. *Adnotationes præviæ : Quid intelligatur per Legum Naturalium principia.* ibid.

§. III. Le-

§. iii. *Legum Naturalium principia quam indolem habeant.* 175
§. iv. *An ad unicum principium Leges omnes Naturales reducenda ſint.* 177
§. v. *Legum Naturalium cognitionem non poteſt homo aſſequi niſi expendendo ſuam naturam, indolem ſtatumque.* 178
§. vi. *Triplex hominis ſtatus.* 179
§. vii. *Religio principium eſt Legum Naturalium quæ ad Deum ſpectant.* 180
§. viii. *Ex poſito Religionis principio conſequentia.* 181
§. ix. *Noſtri ipſorum amor principium eſt Legum Naturalium ad nos ſpectantium.* 183
§. x. *Quæ ex poſito principio Naturales Leges oriantur.* 184
§. xi. *Homo natus ad Societatem.* 186
§. xii. 1. *Homini ſocietas omnino neceſſaria.* 187
§. xiii. 2. *Natura ſua homo eſt ad ſocietatem aptiſſimus.* 189
§. xiv. *Innata nobis propenſione ſocietatem expetimus.* 190
§. xv. *Sociabilitas. Quæ ſint principia Naturalium Legum ad alios homines ſpectantium.* 191
§. xvi. *Quæ Leges ex Sociabilitatis principio deriventur.* 193
1. *Summa Lex eſto publica utilitas.* ibid.
2. *Sociabilitatis ſtudium debet eſſe univerſum.* ibid.
3. *Servanda naturalis æquitas.* ibid.
4. *In ipſos inimicos ſervanda benevolentia. Licita eſt ſui defenſio, ſed non vindicta.* 194
§. xvii. *Poſitorum principiorum peculiares conſequentiæ.* 195
§. xviii. *Triplici noſtro principio inſunt omnia requiſita.* 196
§. xix. *Adnotationes in ſententiam Puffendorfii.* 197
§. xx. *Puffendorfius plus æquo vituperatur.* ibid.
§. xxi. *Quæ ſit Officiorum noſtrorum inter ſe cohæſio.* 199
§. xxii. *Quomodo inter ſe noſtra quandoque Officia pugnent.* 200
§. xxiii. *Naturale Jus obligans. Naturale Jus ſimpliciter permittens. Generale principium Juris permittentis.* 202
§. xxiv. *Naturalis Juris genera duo; aliud primarium, aliud ſecundarium.* 203

CAPUT V.

Naturales Leges ſufficienter promulgatæ ſunt, quæ propria ſit illarum indoles, & quam obligationem inducant &c.

§. i. *Deus Naturales Leges ſufficienter hominibus notas fecit.* 205
§. ii. *Homines in dignoſcendis Legibus Naturalibus ſibi mutuam opem præſtant.* 206
§. iii. *Ea conſtituta ſunt nobis Naturalium Legum principia, ut ex illis principiis earum Legum veritas arguatur.* 207
§. iv. *Naturales Leges divinæ benignitatis ſunt opus.* 208
§. v. *Ex humana inſtitutione non pendent Leges Naturales.* 209
§. vi. *Noſtra cum Grotii opinione ſententia conſentit.* 211

§. VII. *Is Naturalium Legum effectus eſt, ut illis teneamur noſtram agendi rationem accommodare.* 212
§. VIII. *Naturalibus Legibus omnes homines obligantur.* 214
§. IX. *Grotii Sententia in Jus Divinum Poſitivum Univerſale.* ibid.
§. X. *Leges Naturales ſunt immutabiles, & illarum nemo immunis eſt.* 215
§. XI. *De Naturalium Legum æternitate.* 216

CAPUT VI.

De Jure Gentium.

§. I. *Qua ratione Civilis Societas conſtituatur.* 219
§. II. *Status Civilis Naturalem ſtatum non evertit, ſed perficit.* 220
§. III. *Societatis Civilis recta definitio.* ibid.
§. IV. *Imperia ſpectantur uti perſonæ morales.* 221
§. V. *Quid ſit Jus Gentium.* ibid.
§. VI. *Juris Gentium certa veritas.* 222
§. VII. *Juris Gentium principium generale. Quid ſit Ars Politica.* 223
§. VIII. *Expenditur Grotii ſententia de Jure Gentium.* 224
§. IX. *Duplex genus Juris Gentium; alterum Neceſſarium & ex ſe ipſo obligans, alterum Arbitrarium & pacto convento initum.* 226
§. X. *Superiorum Adnotationum uſus.* 228

CAPUT VII.

Proluſio in hanc quæſtionem; Eſtne in humanis actionibus aliqua Moralitas, quædam obligatio, quoddam officium, ante conditas Naturales Leges, & ſepoſito Legislatore.

§. I. *Moralis Diſciplinæ Magiſtri varia ſtatuunt de primo Moralitatis principio.* 229
§. II. *In propoſitam quæſtionem principia.* 230
§. III. *Tres humanarum actionum Regulæ: 1. Senſus moralis; 2. Ratio; 3. Dei voluntas.* 232
§. IV. *Tria poſita principia conjungi debent.* 233
§. V. *De primigenia cauſa Obligationis.* 234
§. VI. *Quævis Regula inducit Obligationem.* 235
§. VII. *Obligatio plus minuſve gravis eſt.* 236
§. VIII. *Sola Ratio poteſt aliquam obligationem inducere.* 237
§. IX. *Objectio. Nemo ſe ipſum poteſt obligare.* 239
§. X. *Reſponſum.* 240
§. XI. *Inſtant, & reſpondetur.* 241

§. XII. Of-

§. XII. *Officium accipi poteſt lato vel ſtricto ſenſu.* 243
§. XIII. *Quid ex iis quæ hactenus dicta fuere colligendum ſit.* 244
§. XIV. *Noſtra conſtituendæ Moralitatis ratio Naturale Jus non infirmat.* 246
§. XV. *Expenditur Grotii Sententia.* 247
§. XVI. *Ut perfectum habeatur Morale ſyſtema, huic adjungenda Religio eſt.* 248

CAPUT VIII.

Quænam ex ſuperiori Capite conſequantur. Quid ſit Juſtum, quid honeſtum, quid utile.

§. I. *Multa eſt de noſtro Argumento Jureconſultorum æquivocatio.* 249
§. II. *De Juſto, Honeſto, Utili, tum de Ordine & Convenientia.* 250
§. III. *Juſtum, Utile, & Honeſtum a ſe invicem diſtinguuntur, nec confundenda ſunt.* 251
§. IV. *Quæ quanquam diſtinguantur, natura tamen cohærent.* 252
§. V. *An ideo juſta ſit actio quia Deus illam præſcripſit?* 253
§. VI. *In quo Virtus & hominis perfectio conſiſtant?* 254

CAPUT IX.

Quomodo humanis actionibus Naturales Leges accommodentur; ac primum de Conſcientia.

§. I. *Quid ſit humanis Actionibus Naturales Leges accommodare?* 256
§. II. *Quid ſit Conſcientia?* 257
§. III. *Conſcientia Legis Cognitionem adjunctam habet.* 258
§. IV. I. *Regula.* ibid.
§. V. II. & III. *Regula.* 259
§. VI. *Conſcientia Antecedens & ſubſequens. Regula* IV. 261
§. VII. *Conſcientia ſubſequens vel eſt quieta, vel ſollicita.* 263
§. VIII. *Conſcientia vel eſt deliberata, vel dubia.* 264
V. *Regula.* 265
VI. *Regula.* ibid.
VII. *Regula.* 266
§. IX. *Conſcientia ſcrupuloſa.* ibid.
VIII. *Regula.* ibid.
§. X. *Conſcientia vera vel falſa.* 267
IX. *Regula.* ibid.
§. XI. *Conſcientia demonſtrativa & probabilis.* 268
X. *Regula.* 270

CA-

CAPUT X.

Quomodo Actiones humanæ cum Naturalibus Legibus comparatæ Vituperio aut Laude, Pœna vel Premio digne ſint.

§. I. *Imputabilitas & Imputatio diſtinguuntur. Quid per Cauſam Moralem intelligatur.* 270
§. II. *Quid ſit Imputatio, quæ locum non habet niſi & Lex & actio nota ſint.* 271
§. III. *Exempla.* 272
§. IV. *Principia. 1. Non ideo jam nunc actio eſt imputanda, quia imputabilis eſt.* 274
§. V. *2. Non ſit imputatio, niſi ſit aliqua cohæſio inter actionem.* 275
§. VI. *3. Quas ob cauſas dicatur quis premio vel pœna dignus.* 276
§. VII. *Quid ſit Meritum & Nequitia.* 277
§. VIII. *4. Sui ſunt gradus Meriti ſeu Virtutis, & Nequitia, tum etiam imputationis.* 278
§. IX. *5. Imputatio vel eſt ſimplex, vel efficax.* 279
§. X. *6. Simplicis & efficacis imputationis effectus.* ibid.
§. XI. *7. Si iis omnes quorum intereſt actionem non imputent, actio cenſetur infecta.* 281
§. XII. *8. Quod ſit diſcrimen inter bonarum malarumque actionum imputationem?* ibid.

CAPUT XI.

Cum variis actionum generibus principia noſtra conferunur, ut dignoſcatur ratio actionum illarum imputandarum.

§. I. *Quænam actiones jam nunc imputentur.* 282
Eorum actiones qui Rationis expertes ſunt. 283
De iis quæ fiunt ex ebrietate. ibid.
§. II. *De rebus impoſſibilibus, & occaſionis defectu.* ibid.
§. III. *De dotibus naturalibus.* 284
De iis quæ per exteriores cauſas gignuntur. ibid.
§. IV. *De iis quæ ex errore, vel per ignorantiam fiunt.* 285
§. V. *De iis quæ ex indole, moribus, & cupiditatibus proveniunt.* 286
§. VI. *De actionibus ad quas vi compellimur.* 287
§. VII. *Actiones per vim extortæ in ſe ipſis vel bona ſunt vel mala, vel indifferentes.* 289

§. VIII.

§. viii. *Cur Actio poſſit imputari quamvis coacta.* 290
§. ix. *Puffendorfii ſententia.* 292
§. x. *De actionibus quarum ſunt plures correi.* 293
§. xi. xii. xiii. & xiv. *Triplex Moralium Cauſarum genus, alia eſt Cauſa præcipua, alia ſubjecta, alia collateralis.* 295
§. xv. *Uſus harum diſtinctionum.* 300

CAPUT XII.

De Auctoritate & Sanctione Naturalium Legum, ac primo de Bonis & Malis quæ natura ſolent Virtutem & Vitium ſubſequi.

§. i. *Quid ſit Naturalium Legum auctoritas.* 302
§. ii. *Ex Naturalium Legum cultu publica & privata felicitas oritur.* 303
§. iii. *Elucidatur noſtra quæſtio.* ibid.
§. iv. *Propoſitæ ſuperius quæſtionis veritas ratiocinatione arguitur.* 304
§. v. *Argumenta proponuntur ex ipſo facto deducta: 1. Interioris gaudii fons eſt honeſtas, vitium contra perturbationis & anxietatis principium eſt.* 306
§. vi. *2. Quæ exteriora bona vel mala virtutem ſequantur aut vitium?* 307
§. vii. *Quorum præcipua poteſtas & auctoritas eſt, in iis virtus vitiumque longe graviores exitus habent.* 308
§. viii. *Superior quæſtio omnium gentium conſenſu comprobatur.* 309
§. ix. *Ejuſdem quæſtionis arguitur veritas, quia contrarium eſt abſurdum.* 310
§. x. *Reſponſio ad quaſdam objectiones peculiares.* ibid.
§. xi. *Semper virtus præſtat, atque hæc prima eſt Naturalium Legum Sanctio.* 313
§. xii. *Neque tamen ſufficiens eſt prima hæc Sanctio, quia obſtant multæ exceptiones.* ibid.
Bonorum malorumque a natura fortunaque pendentium inæqualis eſt partitio, nec juxta cujuſque meritum. 314
Parta ex iniquitate mala ſontes premunt inſonteſque. 315
Quandoque ob ipſam virtutem vexatio concitatur. ibid.
§. xiii. *Non ſatis eſt virium in his rationibus quas humana prudentia adhibet, ut dictis malis medeatur.* 316
§. xiv. *Haud levia ſunt quæ contra noſtrum ſyſtema objiciuntur.* 318

CA-

CAPUT XIII.

Arguitur Animæ Immortalitas. Exiſtit proprie dicta Naturalium Legum ſanctio.

§. I. *Qualis ſit propoſita quæſtio.* 319

§. II. *De propoſita quæſtione diſſentiunt ſcriptores. Quibus modis hac in materia dignoſci poſſit voluntas Dei.* 320

§. III. *Anima eſt-ne Immortalis?* 321

I. *Argumentum: A natura corporis omnino diverſa videtur natura mentis.* ibid.

§. IV. *Quapropter ſoluto corpore non requiritur animæ neceſſarius interitus.* 322

§. V. *Solvitur objectum.* 323

§. VI. *Confirmatur ſuperius argumentum, quoniam in natura nihil in nihilum recidit.* 324

§. VII. II. *Argumentum: Animæ præſtantia.* 325

§. VIII. *Argumenta noſtra confirmantur ex eo quod noſtræ facultates poſſint ſemper magis magiſque perfici.* 326

§. IX. *Solvitur objectum.* 328

§. X. III. *Argumentum. Noſtræ mentis indoles, & innata nobis deſideria ejuſdem humanæ mentis æternitatem arguunt.* ibid.

§. XI. *Naturalium Legum ſanctio manifeſta fiet in vita futura.* 330

§. XII. *Primum Argumentum deductum ex natura hominis moraliter ſpectati.* 331

§. XIII. *Alterum argumentum deductum ex Dei perfectionibus.* 333

§. XIV. *Deus Naturalium Legum ſanctionem ipſe conſtituit.* 336

§. XV. *Naturalium Legum in futura vita ſanctio arguitur vel per ipſa objecta ex præſenti rerum ſtatu deducta.* 337

§. XVI. *Futura vita omnibus propemodum gentibus credita.* 339

CAPUT XIV.

Quæ modo protulimus argumenta eam habent veriſimilitudinem, eam Convenientiam, ut abunde ſufficiant ad ſtabiliendam noſtram fidem, noſtramque agendi rationem diligendam.

§. I. *Naturalium Legum ſanctionem ſufficienter probavimus.* 340

§. II. *Objicitur nonniſi meram convenientiam noſtris argumen-*

gumentis contineri. Cui objecto in univerſum reſpondetur. ibid.
§. III. *Quid ſit Ratio Convenientiæ.* 341
§. IV. *Noſtra Ratiocinationis generale fundamentum.* 343
§. V. *Ubi de Jure naturali agitur potentiſſima eſt Convenientia Ratio.* 344
§. VI. *Convenientiæ ratio plures habet gradus. Quomodo hi gradus dignoſcantur.* 345
§. VII. *Quæ ſtatuimus principia noſtro argumento accommodantur.* ibid.
§. VIII. *Comparantur inter ſe oppoſita duo ſyſtemata.* 346
§. IX. *Naturalium Legum ſanctionem admittens ſyſtema longe præſtat contrario ſyſtemati.* 348
§. X. *Solvitur objectio.* 349
§. XI. *Quis debeat eſſe noſtrorum argumentorum in noſtram agendi rationem influxus. Exigenda eſt nobis præſens vita tamquam alteram credentibus.* 350
§. XII. *Noſtra ſententia neceſſario deducitur ex ipſa hominum natura ſtatuque.* 352
§. XIII. *Convenientiæ vel probabilitatis ſequendæ obligationem nobis Ratio injungit.* 353
§. XIV. *Quas dicimus partium amplectendarum obligationem nobis Deus ipſe præcipit.* 354
§. XV. *Concluſio.* 356
§. XVI. *Quod jam per ſolum Rationis lumen adeo eſt probabile, omnino ſit evidentiſſimum quia divinitus reſeratum.* ibid.

FINIS INDICIS.

JURIS

JURIS NATURALIS ELEMENTA.

PARS PRIMA.

DE ELEMENTIS JURIS IN UNIVERSUM.

CAPUT PRIMUM.

De natura hominis quantum ad Jus *ſpectati; de intellectu, & ad intellectum pertinentibus.*

§. I.

Quid in hoc opere ſibi velit ſcriptor: Quid ſit Jus Naturale.

IS eſt, qui debet eſſe, cunctis hominibus propoſitus finis, ut veram quantam poſſunt ſtabilemque felicitatem aſſequantur. In hoc autem opere fuit ea noſtra mens præcepta illa diligenter inveſtigandi, quæ ſola ratio tradit hominibus, quibuſque ſi auſcultent,

tuto rectoque tramite poſſint ad optatam felicitatis metam pervenire. *Quorum præceptorum ſyſtema ſive congeries*, JUS NATURALE dicitur, *ſi ſpectentur ac totidem Leges hominibus a Deo præſcriptæ*. Quidquid porro ſummum eſt in Juriſprudentia, necnon in diſciplina ſive morali ſive politica præcipuum; quidquid pluris hominum intereſt, & ex quo pendet omnis humana ſocietas, totum hoc in Juris Naturalis notitia continetur. Nulla igitur alia eſt dignior ſcientia homine, qui tum perficiendæ ſuæ menti ſtudet, tum comparandæ felicitati. Ea vero ſatis habere perſpecta, queis in vitæ decurſu debeas inſiſtere, ſummus eſt ſapientiæ finis; & in eo poſita virtus eſt, ut hæc eadem conſtanter colas, nec ab illis uſurpandis te quidquam valeat deterrere.

§. II.

Juris Naturalis elementa deducenda ſunt ex ipſa hominis natura, indole, & conditione.

JUS equidem, tum imprimis Naturale Jus, ad hominis naturam manifeſte pertinet & refertur. Ex iis, ergo quibus hominis natura, indoles, & conditio conſtant, Juris Naturalis elementa deducenda ſunt.

Quod Latini Jus, id Galli *Rectum* vocant, quæ vox primam habet originem a verbo *dirigere*, ſeu *aliquem ad propoſitam metam breviſſima via deducere*. Itaque JUS ſive RECTUM in latiſſima ſua ſignificatione, ſed ad quam cœteræ omnes ſignificationes referendæ ſunt, illud eſt *quidquid*

vel

vel recte dirigit, *vel recte dirigitur*. Hoc igitur primum expendendum eſt, an in ſuis actionibus homo dirigi poſſit, & ad quamdam normam ſeſe accommodare. Quod ne incaſſum experiamur, repetenda res altius eſt, & hominis a principio naturam explorantis, quibus cauſis ad agendum impellatur, quis ſtatus, & quæ conditio illum deceant, explanabimus; ut ſic intelligatur, quibus in rebus, & quanam ratione mores hominum, & facta ſint dirigenda. Neque enim aliter dignoſcas quid ſit *Rectum*, quid non.

§. III.

Homo eſt *animal Intellectu præditum*, *& Ratione*, ſeu mavis: *Homo conſtat corpore organis inſtructo*, *& anima rationis compote*. Hominis definitio. Quæ ſit ejus natura.

Homo, quantum ad corpus attinet, animal eſt haud multum cœteris animantibus abſimile, quodque eiſdem inſtructum organis eſt, cujus eædem ſunt proprietates, eiſdemque ſubjacet vitæ neceſſitatibus. Corpus eſt, inquam, vivens, organis multiplicibus informatum, variiſque partibus conſtans, quod ex ſe ipſo movetur, & a primis quidem initiis debile ſenſim creſcit alimentorum ope, tum quemdam definitum gradum adipiſcitur, in quo ſe exhibet ætatis flos atque robur, unde paulatim excidit, ad ſenectutem vergens, quam demum ſubſequitur interitus. Sic ſe ſolet habere

vita hominum, niſi illam vel morbi vel aliqui caſus effecerint breviorem.

Sed homini præter mirum corporis habitum indita eſt etiam mens qua longe præſtat belluis. Eſt hæc ſane pars hominis nobiliſſima, per quam & cogitat, & vere res objectas percipit, quas una confert, ex cognitis deducit incognita, alterius rei cum altera re cognationem, & cum ipſo homine convenientiam recte dijudicat; ea perpendit, quæ ipſum vel deceat præſtare vel non; ac ſic homo bene perpenſis omnibus ita ſe valet gerere, prout ipſi libitum eſt. Noſtra mens præterita recordatur quæ præſentibus adjungit, imo & futuris; rerum cauſas intelligit, earumque videt progreſſum exitumque; atque ſic uno tanquam intuitu integrum vitæ curſum proſpiciens, ea poteſt comparare quæ ad vitam feliciter degendam explendamque neceſſaria ſunt. Verum in iis omnibus humana mens ad unam eamdemque ſemper, & coactam agendi rationem neutiquam adſtringitur, quippe in cujus omnino poteſtate ſit vel agere vel non; actiones motuſque ſuos velut ſuſpenſos librare, eoſque ad arbitrium tum dirigere tum ordinare.

§. IV.

Hominis diverſæ actiones: Quænam actiones in jure conſiderentur.

Quæ cum ſit in univerſum natura hominis, ſequitur multas eſſe humanarum actionum ſpecies. Aliæ mere proveniunt *a mente*; quemadmodum cogitare, cogitatis attendere, addubitare; &c. Aliæ ſunt mere

cor-

corporeæ, quemadmodum ſpiritum ducere, creſcere; &c. Alias dixeris *mixtas*, quæ tum a mente, tum a corpore ſuam habent originem, ob ſtatutum a Deo corpus inter mentemque commercium, quemadmodum loqui; incedere; &c.

Omnes actiones, quæ vel habent originem a mente, vel ab ipſa diriguntur, *actiones humanæ* vocantur, ſeu *voluntariæ*; cœteræ omnes actiones ſunt mere *phyſicæ*. Itaque mens actionum humanarum *principium* eſt, quæ quidem actiones *Regulam* nullam admittunt, niſi quatenus ortum habent ab egregiis illis facultatibus, quibus hominem Deus inſignivit, & quarum facultatum ope actiones humanæ diriguntur. Quas quidem conceſſas homini dotes neceſſe eſt aliquatenus enucleare, necnon ſingulari cura facultates mentis evolvere, tum ex iis facultatibus partas actiones. Sic etenim dignoſcemus quemadmodum ex mentis facultatibus actiones humanæ generentur; quo ſemel cognito, humanarum actionum natura multo ſe facilius prodet, atque etiam certius conſtabit utrum per aliquam Regulam poſſint hæ actiones dirigi, & quouſque humanæ voluntati ſubjaceant.

§. V.

Præcipuæ mentis facultates.

St vel tantillum homo ſe ipſum perpendat, ex ipſo ſuo ſenſu atque experientia ſua facile deprehendet mentem ſuam eſſe *Principium agens*, quod per continuam variarum

actionum ſeriem vires ſuas explicat. Quoniam autem his actionibus indita ſunt varia nomina, quibus a ſe invicem ſecernantur; ad varias etiam facultates, tanquam ad ſuos fontes, ſolent actiones humanæ referri. Quarum facultatum præcipuæ ſunt *Intellectus*, *Voluntas*, *Libertas*. Mens equidem eſt aliquid ſimplex, ſed propter ejus varias agendi rationes, ideo diverſas in mente facultates non immerito conſideramus, quas etiam juvat diverſis efferre nominibus. Quod ſi ſic intelligatur, ex hac methodo cogitationes noſtræ fient tum accuratiores, tum lucidiores. Hoc igitur infixum animo ſit, quod videlicet mentis noſtræ facultates nihil aliud ſint quam: *multiplex quæ in mente eſt agendi poteſtas, per quam poteſtatem mens ſuas omnes actiones exerit.*

§. VI.

De *Intellectu*; quid ſit *Veritas.*

PRÆCIPUA mentis facultas, ex qua ejus natura conſtat, in INTELLECTU potiſſimum ſita eſt; mentis enim oculus eſt intellectus, qui definiri poteſt: *ea mentis facultas ſive poteſtas, per quam res percipit, earumque ideas ſibi ipſa exhibet, ut veritatis cognitionem aſſequatur.* Veritatis autem eſt in hoc loco duplex ſignificatio. Etenim per veritatem intelligitur vel *ipſa rerum natura, conditio, mutuaque inter illas convenientia vel diſcrepantia*; vel intelliguntur *cogitationes congruentes cum hac rerum natura*,

ra, conditione, mutuaque inter illas convenientia vel diſcrepantia. Quapropter VERITATEM DIGNOSCERE nihil eſt aliud, quam res *quales ſunt in ſe ipſis percipere, ſibique ideas exhibere illarum rerum naturæ conſentaneas.*

§. VII.

Præceptum. Intellectus ſuapte natura rectus eſt.

QUAM in rem neceſſe eſt ut iſtud ipſo in limine præceptum ſtatuamus, quod inconcuſſum habendum eſt, ſcilicet *humanum intellectum ſuapte natura rectum eſſe, eique ineſſe neceſſariam vim ad veritatem aſſequendam, & ab errore ſecernendam, in iis præſertim, quæ ad officia noſtra pertinent, & quibus homines ad rectam, honeſtam, quietamque vitam inſtituuntur, modo ad ea, ut par eſt, attendamus.*

Sua cujuſque conſcientia atque experientia ejus quod ſtatuimus præcepti veritatem aſſerunt, quo quidem præcepto tanquam cardine volvitur quidquid de homine tradi poteſt, & quo ſublato ab imis etiam ſedibus tollatur neceſſe eſt, penituſque ſubvertatur tota humanæ ſocietatis compages, & ſtructura: neque enim alia ratio ſupererit a falſo ſecernendi verum, a malo bonum; ex qua naturalium cognitionum ſubverſione fiet, ut jam nihil certum, ſed omnia dubia ſint, qui dementiæ cumulus eſt.

Quorum igitur ea fuit opinio, tum in exequendis officiis, tum præſertim in colenda Religione, nec tutum nec fidum du-

cem eſſe rationem, quia corrupta ſit, ejuſque depravatæ facultates, ii non ſatis attenderunt, quod illud ponerent ſententiæ ſuæ fundamentum, quo poſito omnis omnino veritas, atque ideo convellitur ipſa Religio. Itaque tantum abeſt ut talis hæc ſententia nobis in ſacris codicibus proponatur, ut contra Beatus Paulus diſertiſſime * aſſerat. " Gentes quibus non obtigerit „ Lex divinitus patefacta, ſi natura duce „ Legis exequantur præſcripta, fieri Legem „ ſibi ipſis, atque ſic oſtendere Legis præ„ cepta ſuis eſſe mentibus inſcripta, vide„ licet ob ſuæ conſcientiæ teſtimonium. „ Fatendum quidem eſt ex mala inſtitutione, pravis moribus, effrænisque libidinibus obſcurari poſſe facem ingenii, necnon propter mentis levitatem ſocordemque negligentiam, atque præjudicatas opiniones, in graviſſimos errores ſæpius homines incidiſſe, quantum etiam ad mores, atque ipſam Religionem pertinet. Quid tum? An ſi homines ſua ratione perperam utantur, idcirco putes extinctas quas humanæ menti natura rectas indidit facultates? Abſit hujuſmodi ſententia, quæ quantum diſtet a vero, clarius ex eo patebit quod ſubinde dicendum ſupereſt.

* Rom. II. 14. 15.

§. VIII.

Quomodo rerum fiat perceptio.

Intellectus igitur quemadmodum vires ſuas exerat propius inſpiciamus. Rerum *perceptio*, vel *cognitio* duplicem cauſam habet, quarum altera eſt, cum *res objecta* mentem noſtram

ſtram afficit; altera, cum mens *rem objectam* intuetur, quo illam dignoſcat. Sed quoniam ad res plane dignoſcendas primus non ſemper intuitus ſufficit, neceſſe eſt ut per aliquod tempus rem objectam mens noſtra contempletur. *Hæc* porro *diligentia quam objectæ rei nitidius percipiendæ noſter animus adhibet*, *vocatur* ATTENTIO; *quæ attentio ſi huc atque illuc ſe convertit*, *ut cunctas objectæ rei partes intueatur*, *dicitur* INVESTIGATIO. Quapropter ad mentem quod attinet, ex illius inſita vi, ſi tamen attentionem adhibeas, tota pendet rerum perceptio, vel cognitio.

De animo rebus objectis intento, eaſque inveſtigante.

§. IX.

HIS fretus auxiliis e proprio penu depromptis res nitide tandem percipere valet homo, & quales ſunt in ſe ipſis, & prout ſe habent aliæ cum aliis; cogitationeſque ſuas certe ſcit cum rebus quas exhibent convenire; uno verbo fit ut veritatis cognitionem adipiſcatur. *Rerum* autem *mutuæque inter illas convenientiæ nitida*, *& perſpicua cognitio dicitur* EVIDENTIA, quam operæ pretium eſt attendere. Quoniam enim Evidentia veritatem arguit, cujus eſt præcipuum, & indubitatum ſignum, ideo quam exploramus rem noſtris mentibus ita facit certiſſimam, ut nihil queat certius eſſe. Sed res objectæ non omnes tantumdem emittum luminis, & quæcumque ſit hominum cura, quantacumque rebus cognoſcendis

Evidentia. *Probabilitas.*

Digitized by Google

dis inveſtigatio adhibeatur, ſæpenumero fit ut ſe veritas prodat ſub maligna luce, quæ prout eſt vel clarior vel obſcurior, varios gignit gradus *probabilitatis* & *veriſimilitudinis*. Sed ita ſunt hominis definitæ facultates ut non poſſit ſe res aliter habere. Homini vero ſatis eſt, ſi juxta propoſitum illi finem conceſſamque ſortem, res eas certo dignoſcat, quæ ad ejus perficiendam virtutem & felicitatem pertinent, tum etiam ſecernere valeat *evidentiam* a *probabilitate*, ut pro diverſis probabilitatis gradibus aſſenſum ſuum rebus accommodet. Hominibus autem judicandarum rerum vim illam ineſſe nemo inficiabitur, quicumque volet ſe ipſum ſcrutari, mentiſque ſuæ facultates experiri.

§. X.

Quid ſint *ſenſus*. quid *imaginandi vis*, quid *memoria*.

AD intellectum etiam *imaginandi vis*, *memoria*, *ſenſuſque* ipſi referuntur, prout ſunt facultates, per quas res objectæ ſentiuntur ſeu percipiuntur. Senſus enim, ſi ſic intelligantur, nihil ſunt aliud quam *Intellectus utens ſenſibus & organis corporeis ad objectas res corporeas percipiendas*. Sic etiam imaginandi vis eſt idem *Intellectus res quæ abſunt percipiens, non quod jam ipſis afficiatur, ſed propter earum imagines quas ipſa ſibi effingit in cerebro*. Memoria demum eſt ipſe etiam *Intellectus, prout facultas eſt rerum perceptarum ideas ſeu ſpecies retinendi, ſibique eaſdem, cum opus eſt, exhibendi*. Ex hoc autem potiſſimum memoria pendet,

det, ſi ſæpius rerum ideæ ſeu ſpecies evolvantur.

§. XI.

SEQUITUR ex iis quæcumque de intellectu dicta ſunt, huic mentis noſtræ facultati propoſitam eſſe veritatis indagationem, cunctaſque illius adipiſcendæ rationes. Intellectus igitur *perfectio* ſita eſt in *veritatis cognitione*, ſiquidem ad hunc finem demandatus ſit intellectus.

Intellectus *perfectio* ſita eſt in veritatis cognitione. Cujus perfectionis duo ſunt impedimenta, *ignorantia* & *error*.

Verum duæ præſertim res huic obſtant intellectus perfectioni; *Ignorantia* nimirum & *Error*, qui mentis duplex eſt morbus. IGNORANTIA *eſt mera idearum ſeu cognitionum privatio*; ſed ERROR eſt *diſſimilitudo ſeu adverſatio inter noſtras cogitationes & rerum naturam conditionemque*. Quapropter error cum ſit veritatis ſubverſio, multo magis adverſatur veritati quam ignorantia, quæ tanquam media eſt veritatem inter, erroremque.

Operæ pretium eſt meminiſſe non hic intellectum, veritatem, ignorantiam, erroremque commemorari, ut tantum quales ſunt in ſe ipſis dignoſcantur; noſter hic eſt præcipuus finis facultates illas indagandi ut totidem actionum noſtrarum *Principia* ſeu fontes: Quod ſi ſic intelligatur, error & ignorantia, quamvis a ſe invicem ſuapte natura ſecernantur, nihilominus ſolent promiſcue uſurpari, ita ut alteri conveniat quod trademus de altero. Errorem ple-

plerumque parit ignorantia ; utriuſque vero ſeu conjungantur ſeu disjungantur, ineunda eſt eadem ratio, ſiquidem quantum ad noſtras *actiones* vel *prætermiſſiones* ſpectat, eumdem exitum ſortiantur. Atque fortaſſis liquebit, ſi penitus ad rem attendatur, neutiquam ex mera ignorantia, ſed ex errore actionem quamdam gigni poſſe: ignorantia namque cum ſit idearum ſeu cognitionum privatio, quidquam nequit generare.

§. XII.

Errorum varia genera. 1. Error *Juris*, vel *Facti*. 2. *Voluntarius*, & *non voluntarius*. 3. *Eſſentialis* & *accidentalis*.

VARIA ſunt erroris & ignorantiæ genera, quæ in quo differant neceſſe eſt hìc definire. 1. Error ſi ſpectetur quoad rem, circa quam verſatur, vel eſt *Juris* vel eſt *Facti*. 2. Ignorantia quoad ſuam originem vel eſt *voluntaria* vel *non voluntaria*; error vel eſt *vincibilis* vel *invincibilis*. 3. Denique prout error anſam præbet aut huic actioni peragendæ, vel huic rei ſuſcipiendæ, dicitur *eſſentialis* vel *accidentalis*.

JURIS vel FACTI dicitur error *propter quem vel erramus in præſcripto Legis, vel in facto non bene comperto*. Hìc v. g. Juris error eſſet in quovis Principe, qui quoniam ſenſim augentur vicini Regni vires, & potentia, inde legitimam belli cauſam ſe nactum eſſe crederet. Ejuſdem generis olim erat Græcorum Romanorumque communis error, qui ſibi fas putabant filios ſuos exponere. Sed contra fuit error facti,

ℰti, cum *Abimelech* uxorem *Abrahami Saram* putavit innuptam eſſe.

Ignorantiam voluntariam, vel ſi mavis, errorem *vincibilem* aut ſuperabilem illum dicimus, *quem noſtra ſoccordia peperit, nec fuiſſet admiſſus, ſi quantam poteramus, diligentiam adhibuiſſemus, attentumque animum.* Quapropter *vincibilis* erat Ethnicorum error plures Deos colentium; etenim ſi auſcultaſſent Rationi, ſane intellexiſſent nulla de cauſa plures Deos admitti. Sic etiam adjutrice Ratione plerarumque gentium antiquarum poterat avelli opinio illa, nimirum quod ſalva honeſtate piraticam poſſent adverſus illos exercere quibuſcum nullum fœdus pepigerant, quos hoſtiliter habere non putabant iniquum. Verum ea ignorantia non eſt voluntaria, atque is error eſt *invincibilis* ſeu inexſuperabilis *a quo neque nos tueri nec extricare potuimus, licet omnem illam quæcumque in nobis fuit curam impenderimus*; curam illam intelligo quæ in res humanas cadit vitamque communem. Inde fit ut antequam Europæanorum ullum eſſet cum Americanis commercium, horumce Chriſtianam Religionem neſcientium non eſſet *voluntarius* error, ſed *invincibilis*.

Denique vocamus *eſſentialem* errorem illum, *qui verſatur circa quid rei propoſitæ neceſſario adjunctum, propter quod ad agendum impellimur, ita ut ſecluſo illo errore, præſtitum factum minime fuiſſemus aggreſſi.* Unde etiam is error dicitur *efficax*. Neceſ-

ſaria

ſaria porro rei adjuncta intelligimus illa *quæ neceſſario fluunt vel ex ipſa rei natura, vel ex hominis agentis propoſito, ſuo tempore concepto, ſigniſque denotato convenientibus*. Sic, exempli cauſa, Trojanorum *eſſentialis* error erat, qui tela, quum ſua urbs expugnaretur, in proprios cives vibrabant, quos hoſtes putabant eſſe, Græcorum ſcilicet armis indutos. Aliud exemplum eſt, cum quis uxorem ducit alterius conjugem, quam virginem autumabat, vel cujus neſciebat adhuc eſſe viventem maritum. Ejuſmodi error ad ipſius rei naturam pertinet, atque ideo eſſentialis eſt.

Sed ERROR ACCIDENTALIS eſt ille, *qui nullam habet cum propoſita re neceſſariam connexionem, atque ideo admiſſi facti vera cauſa non poteſt eſſe*. Aliquem quis v. g. vel afficit contumelia vel ictibus impetit, quoniam alium habet pro alio, vel ſibi conceſſam ultionem putat mortuo Rege, cujus extincti falſus rumor percrebuerat &c. Sunt hi errores mere accidentales, qui quoniam in hominis agentis mente verſabantur, ejus quidem factum concomitati ſunt, ſed nullo modo fuerunt facti vera cauſa.

Cœterum adnotandum adhuc eſt poſſe varias tum ignorantiæ tum erroris ſpecies in eamdem rem conjunctas incidere. Sic poteſt error facti vel eſſentialis eſſe vel accidentalis; uterque autem error poteſt eſſe aut voluntarius aut non voluntarius, vincibilis aut invincibilis.

Verum hæc de intellectu ſufficiant. J

alia

alias mentis noſtræ facultates expendamus; quævis enim ad humanas actiones eliciendas pro ſua parte conducit.

CAPUT II.

Principiorum ſeries de natura hominis; de VOLUNTATE & LIBERTATE.

§. I.

FUIT illud Dei propoſitum, cum hominem condidit, ut mens humana non ſolum poſſet objectas res dignoſcere, earumque ideas ſibi exhibere, verum etiam ut principio agente eſſet inſtructa, quo moveretur, ſive facultate per quam homo, poſtquam res objectas dignovit, arbitrio ſuo valeret agere vel non agere, rem aggredi vel omittere. Hæc autem facultas *Voluntatis* nomine venit. De Voluntate: quid ſit *Felicitas*, quid *Bonum*.

Voluntas igitur nihil eſt aliud quam *hæc mentis facultas per quam, ob inditum ſuæ naturæ principium agens, mens arbitrio ſuo fertur tum ad illas res expetendas quæ ſibi conveniunt, tum ad agendum hac vel illa ratione, vel ad aliquid aggrediendum hac vel illa ratione, vel ad aliquid aggrediendum aut omittendum, in quibus ſingulis ſuæ ſemper felicitatis rationem habet.*

FELICITATEM intelligimus *intimum illud mentis noſtræ gaudium quod ex boni poſſeſſione naſcitur.* BONUM autem licet vocare, quid-

quidquid homini convenit ad ejus ſalutem & perfectionem, ad ejus commodum & oblectamentum. Ex Bono dignoſcitur MALUM, quod in univerſum definiri poteſt, *quidquid hominis vel ſaluti vel perfectioni, vel commodis aut oblectamentis adverſatur*.

§. II.

Inſtinctus, Propenſiones, Cupiditates. AD voluntatem referuntur *Inſtinctus*, *Propenſiones*, *Cupiditates*. INSTINCTUS vocatur *ille ſenſus quem mens experitur, cum corpus re aliqua indiget ad quam ſine mora comparandam mens impellitur*. Quo in genere ſunt fames, ſitis, atque ab illis averſatio quæcumque poſſunt nocere, &c. PROPENSIONES ſunt *voluntatis inclinatio qua fertur ad quaſdam res objectas potius quam ad alias, ſed æquabili ratione, quieta, quæque ſic ad omnes voluntatis actiones adtemperatur, ut alias non interturbet, ſed ſoleat adjuvare*. CUPIDITATES autem in eo ſunt propenſionum ſimiles, quod *impulſus ſint voluntatis ad quaſdam res objectas*; Verum *hi impulſus multo ſunt vehementiores & temere incitatiores, unde etiam mentem e naturali ſua ſede deturbant, impediuntque, ne ſuas actiones recte dirigat*. Quod cum contingit, cupiditates fiunt peſtis hominum capitalior. Gigni ſolent cupiditates ex iis bonis quæ ſenſibus percipiuntur, quæ mentem illecebris ſuis alliciunt, & ſtimulis urgent acrioribus.

Ex iis quæ jam dicta ſunt, facile intelligitur

gitur multam eſſe propenſiones inter, cupiditates atque inſtinctus affinitatem, ſiquidem nihil unquam aliud ſunt quam hi motus affectuſque animi, qui ſæpius circa res eaſdem exercentur. Sed inter triplex illud motuum genus hoc intereſt, quod in omnibus hominibus neceſſario iidem ſint inſtinctus: cauſam enim habent tum ipſam humani corporis naturam, tum illius cum anima conjunctionem; ſed propenſiones, & cupiditates ſi ſeorſim ſpectentur, nullam deprehendes neceſſariam vel propenſionem vel cupiditatem, unde etiam inter hunc, & illum hominem ſumma eſt propenſionum, & cupiditatum diverſitas.

Apud Gallos voluntas prout motus illos experitur qui jam explicati ſunt, *Cordis* nomine declaratur, quia forte reputarunt eorum motuum in corde ſedem eſſe.

§. III.

Ea natura noſtræ mentis eſt, ut quidquid agit voluntas, non ſolum agat ſponte ſeu proprio motu placitoque aſſenſu, perque inſitam ſibi vim, ſed ut præterea, quocumque ſe vertat, eam comitetur *Libertas*. Libertas in quo conſiſtat.

Libertas dicitur *vis illa mentis cujus ope mens ad ſuum arbitrium ſuas actiones temperat ordinatque, ita ut ſuas deliberationes actioneſque vel in ſuſpenſo habere valeat, aut in illis pergere, vel illas alio flectere, ac uno verbo in quam velit partem convertere ſe poſ-*

ſit, & agere cum delectu, prout illi videbitur magis expedire. Quæ facultas ſane præſtantiſſima homini in ſe ipſum ſuaſque actiones quoddam imperium confert. Hujus ergo facultatis naturam neceſſarium eſt paulo accuratius explanare: præſertim cum inde fiat, ut homo ſeſe poſſit ad normam accommodare, & quidquid agat, ejus rationem reddere teneatur.

Voluntas, & Libertas, cum ſint mentis facultates, non ſunt quid cœcum, & cognitione deſtitutum, ſiquidem illarum parens eſt intellectus. Nam quæ deliberaveris quonam pacto vel cohibere, vel hanc potius quam illam partem amplecti queas, ſi quid ſit eligendum prorſus ignores? Nonne hoc contra naturam eſt intelligentem, & ratione præditam, ut agat abſque intellectu, & ratione? Levis quidem eſt, neque recta fortaſſe, talis hæc vel illa ratio quæ nos ad agendum movet; at aliquam ſaltem ſpeciem habet, quoddam ſubobſcurum lumen, unde rationem illam impræſentiarum rectam judicamus. Ubi eſt electio, ibi eſt rei cum re comparatio. Quiſquis porro comparationem init, is rem propoſitam perpendit ſaltem confuſe, & aliquatenus de illa deliberat, curſim licet, atque ita ut qui deliberat, deliberationem ſe habere vix ſenſerit.

Eo reſpiciunt omnes noſtræ deliberationes, ut aliquam nobis paremus utilitatem. Fertur enim generatim Voluntas ad *Bonum*, id eſt, ad illud quodcumque nos poteſt vel poſſe ſaltem videtur præſtare felices; ita ut

omnes

omnes actiones quæ pendent ab homine, quæque ad finem homini propoſitum quovis modo referuntur, hoc ipſo ejus voluntati ſubjaceant. Quoniam autem *Veritas* ſeu rerum cognitio homini quoque convenit, & *Veritas* ſic accepta *Bonum* eſt, hinc fit ut voluntas circa veritatem non ſecus ac circa cætera bona verſetur.

Libertas æque ac voluntas propoſitum habet, & *Verum*, & *Bonum*; ſed quoad actiones Libertas anguſtior eſt Voluntate: neque enim in quibus omnibus ſua eſt Voluntatis vis, in eiſdem locum habet Libertas, ſed tantum in iis actibus quos mentem penes eſt, vel ſuſpenſos habere, vel ad libitum flectere.

§. IV.

Libertatis uſus in noſtris judiciis quoad veritatem.

SED quinam ſunt, inquies, illi actus in quibus libertas vim ſuam exſerit? Eos quidem actus dignoſcemus, ſi mentem noſtram penitus ſcrutemur, & quemadmodum ad diverſas res objectas ſe noſter animus habeat. 1. Si expendamus noſtra judicia tum de *vero* tum de *falſo*; 2. Si advertamus deliberatam illam rationem qua vel *bonum* vel *malum* aggredimur; ac denique in rebus ipſis indifferentibus quem ineamus agendi modum. Libertatem ſic enucleare neceſſe ideo erat, ut ejus naturam uſumque rectius habeamus perſpectum, & quo uſque ſe libertas extendat.

Quod ad *Verum* attinet, ita natura com-

parati ſumus, ut ſimul ac *Evidentia* noſtræ menti ſe manifeſtam præbet, jam non poſſimus noſtrum de re judicium in ſuſpenſo habere, neque noſtri oculi tam claræ luci valeant obſiſtere, ſed aſſentire cogamur. Quis enim v. g. inficias ibit *totum* eſſe majus *ſua parte*; vel ſi Reipublicæ aut privatæ domus utilitatem ſpectes, quis negabit potiorem eſſe concordiam pacemque, quam tumultum, diſſidia, bellum, &c.

Verum longe aliud evenit in iis rebus quæ minus claræ minuſque ſunt evidentes; in iis enim ſummus eſt libertatis uſus. Mens equidem ſponte fertur in eam partem quæ ſibi videtur veriſimilior, ita tamen ut facile judicium ſuum cohibere poſſit, donec nova certæ cognitionis argumenta nanciſcatur, aut etiam totam illam indagationem in aliud tempus amandare. Quo res obſcuriores ſunt, eo magis, & cunctari, & aſſenſum noſtrum ſuſtinere, aut etiam differre poſſumus. Atque id experimento conſtat: quotidie namque, & paſſim, ut ita dicam, quæſtiones emergunt in quibus ob anguſtos ingenii noſtri fines, atque in utramque partem argumenta, dubii ſuſpenſique hæremus, nec dijudicamus rem, ſed eam iterum expendimus, donec tandem vel huc vel illuc inclinemus. Intelligimus v. g. poſſe diu mentem noſtram incertam eſſe, nec aſſenſum ſuum accommodare ſequentibus quæſtionibus niſi diu deliberatis: Tenemurne juramentum præſtare per vim extortum? Juſtane de cauſa

Ju-

Julius Cæſar occiſus eſt? An æquum erat id a Senatu Romano reſpui quod Conſules ſpoponderant, ut ſe *Caudinis Furcis* expedirent? Vel an idem Senatus-Conſultum ſponſionem ratam debebat habere, eique publici pacti pondus, & auctoritatem ſuperaddere? &c.

§. V.

Quamvis in noſtris judiciis jam non ſit locus libertati, ſimul ac res clare, & diſtincte perceptæ ſunt, ne tamen exiſtimemus nullum omnino quoad res evidentes libertatis uſum ſupereſſe. Primum namque ſemper in arbitrio noſtro eſt ad eas res animum noſtrum intendere, vel eum ab eiſdem avertere, ſcilicet ut quid aliud contemplemur. Atque hic primus voluntatis impulſus quo fertur ad exhibitas ſibi cogitationes vel perpendendas vel omittendas eo quidem dignior eſt qui adnotetur, quod naturalem influxum habet in ſubſequentem voluntatis aſſenſum, propter quem poſt exploratas noſtras cogitationes atque perpenſa judicia, rem aut aggredimur aut prætcrimus. Quin etiam in quibuſdam, adhibita ſumma mentis contentione, rebuſque diligentiſſime conſideratis, in noſtra eſt poteſtate evidentiam, ut ita dicam, parere: ſed antea debilior lux affulgebat quam ut omnino poſſemus rerum naturam aſſequi. Denique partam ſemel evidentiam plus minuſve intentis oculis ad libitum contem-

plamur, in quo non ineſt parvum momentum, ſiquidem quo magis magiſque explorata res eſt, eo vehementius mentem noſtram afficit.

Objicitur, & ſolvitur quæſtio.

Ex iis quæ jam adnotata ſunt, gravis exoritur conſideratio, cujus ope valeas quæſtionem enodare quæ adverſus libertatem ſolet proponi. „ Penes hominem non eſt, „ inquiunt, res aliter percipere quam prout „ ejus menti ſeſe exhibent; de illis autem „ mens judicat prout illas percepit, atque „ ſecundum hæc mentis judicia vel huc vel „ illuc voluntas flectitur. Id omne igitur „ neceſſario fit, neque a noſtra pendet li„ bertate. „

Sed hujus propoſitæ quæſtionis vana eſt ſpecies. Etenim quaſcumque tricas velis nectere, nihilominus fateberis in cujuſque arbitrio poſitum eſſe ad lucem oculos vel claudere vel recludere, animum intendere vel relaxare. Sua quemvis experientia docet, ſi varios rei proſpectus intueatur, illamque ſedulo ſcrutetur, in ea multa retegi quæ ſeſe primo aſpectui ſubduxerant. Atque hæc quidem ſatis eſt attendiſſe, ut innoteſcat ſuum eſſe libertatis uſum, ſive in iis quæ intellectus percipit, ſive in iis quæ intellecta ſuſcipimus.

§. VI.

Libertatis uſus quoad bonum malumque.

An homines parem habeant libertatem ſe ipſos ad *bonum* vel ad *malum* convertendi? Eſt enim hæc altera quæſtio quam evolvamus.

Cu-

Cujus quæſtionis non aliunde petenda eſt enodatio, quam ſi diſpiciamus, tum quemadmodum fiat propoſita res, tum quid intra nos ipſos experiamur. Equidem quod ad *Bonum*, & *Malum* attinet; ſi generatim utrumque ſpectetur, nullam libertatem uſurpare poſſumus, quoniam ad bonum invicta propenſione trahimur; & a malo innata eſt nobis inſuperabilis averſatio. Quod hominum Conditori ſic placitum eſt, nec inditam ſibi naturam illam valet aliquis immutare. Ita namque conſtituti ſumus ut ab eo neceſſario trahamur quod bonum eſt; contra quæ mala ſunt, ab illis, ut ita dicam, neceſſario dimovemur atque repellimur.

At hæc in bonum generatim ſpectatum tam vehemens propenſio, & a malo ingenita nobis averſatio, neutiquam obſtat quominus omnimoda libertate perfruamur, ſi quodvis bonum vel malum ſeorſim conſideretur; quamvis enim objectis rebus vel inviti ſtatim afficiamur, non ideo ad ſingularem hanc vel illam rem aut expetendam aut declinandam neceſſario impellimur. Æſtu ſitique viator ardet: huic derepente ſeſe objiciunt pulcherrimi fructus quos nimirum prænuntiant, & ſuaviſſimus odor, & plenus deliciarum ſuccus: noſter hic quidem viator ad capeſſendum oblatum bonum, & ad illum quo premitur angorem ſalubri cibo ſublevandum ſtatim incitabitur. Sed & cunctari poteſt ſuamque actionem cohibere, donec perſpectum habeat, annon

partam ex iis fructibus utilitatem malum aliquod ſubſecuturum ſit; ac uno verbo deliberationem ac computum inire poteſt, ut ſecuriorem partem demum amplectatur. Quin imo ea vis eſt humanæ rationis, ut non ſolum eo poſſimus lubentes carere quod mentem noſtram jucunde titillat, ſed etiam volentes incurrere in eam anxietatem vel dolorem, quem utique optaremus declinare, ſed quem ob graviſſimas cauſas pati malumus. Nonne hæc humanam ſatis arguunt libertatem?

§. VII.

Libertatis uſus quoad res indifferentes.

VERUM libertas in *rebus indifferentibus* vim ſuam manifeſtius exerit. Sic v. g. intelligo penes me omnino eſſe vel manum porrigere vel retrahere, ſedere vel ambulare, ire dextrorſum vel ſiniſtorſum, &c. Quibus in rebus humana mens cum ſibi ipſi permittatur, quoniam vel non impellitur cauſis externis, vel hæ cauſæ ita ſibi invicem adverſantur, ut neutra prævaleat alteri, dici merito poteſt humanam mentem huc vel illuc impelli pro arbitrio ſuo, & ſecundum eam quam in ſuas actiones poteſtatem habet.

§. VIII.

Cur libertatis uſus coerceatur intra ge-

HOC loco inquirendum venit cur libertatis uſus intra bona ſingularia genuſque veritatis non evidens concludatur, nec ſeſe ex-

ſe extendat ad bonum generatim ſpectatum, nec ad genus veritatis evidens. Cujus cauſam ſi aſſequamur, majorem ſimul anſam apprehendemus ſummam in homine conſtituendo Creatoris ſapientiam admirandi, necnon magis magiſque tum propoſitum libertati finem, tum verum illius uſum dignoſcemus. nus veritatis non evidens, & bona tantum ſingularia complectatur.

Neceſſe primum eſt id nobis concedi petentibus, Deo nempe finem hunc propoſitum fuiſſe, ut beatum præſtaret quem condebat hominem. Quo ſemel admiſſo facile quivis fatebitur non aliam homini felicitatis aſſequendæ rationem ſupereſſe quam ſi *veritatem* dignoſcat, & *veris bonis* fruatur. Atque id evidenter arguitur ex iis quæ ſuperius tum de *felicitate*, tum de *bono* diſſeruimus, quæ ſunt eo magis attendenda, quod ex illis derivantur quæcumque jam de præſenti quæſtione diſceptabimus. Quoties igitur ſubobſcuræ ſunt res quas indagamus, nec mentem afficiunt clara luce per quam omnino cernantur, ita ut de illis certa, & ſtabili ratione judicemus, tunc in hominum arbitrio prorſus debet eſſe, ut ſuum de re judicium cohibeant; ſic enim, quoniam non trahuntur neceſſario prima vi qua fuerunt affecti, ſuam longius producere valent indagationem, donec ſummum certæ cognitionis apicem, atque ſi fieri poteſt, evidentiam nanciſcantur. Quod niſi ita ſe haberet, in errorem paſſim incideremus, cujus etiam nullum daretur effugium. Quamobrem utiliſſimum & ſummopere neceſſa-

rium

rium fuit, ut in ejuſmodi rebus poſſet homo libertatem ſuam adhibere.

Sed contra cum res, earumque inter ſe convenientia, clare & diſtincte percipimus, ita ut evidenter ſe manifeſta exhibeant, tunc fruſtra, & ut ita dicam, damnoſe, judicium noſtrum libertatis ope cohiberemus. Ubi enim ſic certa cognitio eſt, ut certior nequeat eſſe, quid nova, quæſo, rei prodeſſet indagatio, ſi foret in arbitrio noſtro poſita? Neque enim duce quiſquam eget, qui quo tendat, & cui viæ ſit inſiſtendum nitide perſpicit. Itaque confert hoc etiam in hominum utilitatem, quod evidentiæ cogantur aſſentiri.

§. IX.

QUEM libertatis uſum circa veritatem eſſe diximus, idem ferme eſt circa *Bonum* & *Malum*. Hominis ad felicitatem comparati ea natura debebat eſſe, ut illi omnino neceſſarium foret Bonum generatim cupere & expetere, Malum autem refugere. Homo enim mancum quid eſſet, meritoque Dei Conditoris incuſaretur ſapientia, quæ nempe a propoſito fine penitus aberraſſet, ſi tales homini facultates inditæ fuiſſent, ut in bono maloque generatim ſpectatis *indifferenter* ſe haberet, in ejuſque arbitrio poſitum eſſet bonum malumque generatim ſpectata vel appetere vel reſpuere, atque in utrovis eligendo ſuſpenſum hærere.

Sed

Sed quamvis homo neceſſario Bonum expetat & Malum oderit , hujus tamen ſors eſſet miſerrima , ſi ineluctabili vi cogeretur vel agere vel abſtinere , ſtatim ut illum objectæ res ſingulares afficerent . Ea conditio rerum humanarum eſt , ut ſæpe prima nos ſpecies fallat , raroque contingat ſive mala ſive bona nobis exhiberi apprime deſœcata & impermixta , ſed fere ſemper commodis incommoda connectuntur, ita ut pro parte res eadem excipienda, pro parte vero rejicienda videatur. Quapropter ne fluctuemus incerti , & ut in damnum non incurramus, plerumque cohibendi primi motus , & res accuratius expendendæ , diſceptandæ, computandæ, atque compenſandæ ſunt , in quibus omnibus uſus requiritur libertatis . Libertas igitur in ſubſidium venit aliarum facultatum quarum ſupplet defectus , quarumque ſimul ac errores emendavit , ejus ultra non deſideratur officium.

Ex quibus colligitur inſtructum hominem iis omnibus eſſe quibus ad felicitatem perveniat in quam natus eſt, atque hac in re non ſecus ac in cœteris omnibus Dei Conditoris mirabilem eſſe ſapientiam .

§. X.

Libertatis argumentum, quod ex ſua cujuſque con-

Postquam humanæ libertatis naturam, actiones , uſumque ſic exploravimus , ſupervacuus forte videbitur labor, ſi longiori ſermone contendamus , libertate revera dona-

ſcientia deduci- tur, cœteris omnibus argumentis præſtat.

donatum eſſe hominem, neque minus quam cœteras dotes, hanc etiam illi facultatem ineſſe.

Sed quia libertatem in hac noſtra doctrina *principium* ducimus ſummopere præcipuum, alterumque noſtræ conſtructionis fundamentum, e re prorſus erit vel ſaltem indigitare invictum illud humanæ libertatis argumentum quod quotidiana noſtra experientia comprobatur. Itaque noſtram ipſorum mentem conſulamus. Quiſque ſibi plane conſcius eſt quod pro arbitrio ſuo poſſit v. g. vel incedere vel ſedere, tacere aut loqui. Nonne etiam ſingulis momentis experimur penes nos eſſe judicium noſtrum in ſuſpenſo habere, quo rei novam indagationem aggrediamur. Quis vere neget nos liberata mente bonum vel malum eligere nulla neceſſitate compulſos. Quin etiam quocumque modo mens noſtra primo affecta ſit, judicium tamen noſtrum poſſumus vel ſtatim ſiſtere, tum deinde inveſtigatæ rei hinc & illinc argumenta expendere, ac uno verbo omnia præſtare quæcumque arguunt humanam mentem liberrimam eſſe. Ego ſi ad quoddam ſingulare bonum potius quam ad aliud ineluctabili vi traherer, eumdem tunc experirer illum affectum quo ad bonum *generatim* ſpectatum deferor, nempe prævalidum motum quo aſſenſus meus neceſſario raperetur, & cui non valerem obſiſtere. Sed mea mihi experientia conſtat quod vim illam ineluctabilem non experiar, ſi quando quoddam *ſingulare Bo-*

num

num objicitur. Etenim eo poſſum vel abſtinere, vel ejus uſum differre, vel aliud ei bonum anteponere; poſſum vel eligere vel hærere ſuſpenſus in delectu, ſeu quod idem eſt, ſum *liber*.

Si quis porro quærat utquid fieri poſſit homines, quos certum eſt circa Bonum generatim ſpectatum non eſſe liberos, eoſdem circa bona ſingularia liberos tamen eſſe? Hujus *quæſtionis* nodus hoc reſponſo ſolvitur: Nemo ſcilicet propter innatam omnibus felicitatis cupiditatem inſuperabili vi ad ullum ſingulare bonum trahitur, quia nullo ſingulari bono felicitas continetur ad quam neceſſario tendimus.

Quævis objecta diluuntur per ejuſmodi probationes ex innato & interiore ſenſu petitas, quæque medullitus in animum perſuaſionem inducunt. Fieri enim nullo modo poteſt ut noſtra mens hoc vel illo modo afficiatur, quin ſe affectam intelligat hoc vel illo modo, propter quem vel bene vel male vel indifferenter ſe habeat. Neque aliud exiſtentiæ noſtræ certum habemus argumentum, neque aliunde quam ex interiore ſenſu nobis conſtat, quod vel cogitemus vel agamus.

Atque hic noſtræ libertatis interior ſenſus eo minus dubius eſt, quod fugitivus, & unius momenti non ſit, ſed continuus, nunquam a nobis diſcedens, & ſe quotidie per mille prodens experimenta.

Itaque videmus nihil inter homines, & eſſe & haberi certius quam penitiſſimam

ſuæ

ſuæ libertatis perſuaſionem. Homines vel generatim omnes, vel ſeorſim ſingulos ſpecta: quidquid excogitant, deliberant, inquirunt, agunt, judicant, totum hoc ex libertate profluit. Hinc boni & mali, vitii & virtutis *idea* ſeu perceptio, & quæ illis adjuncta ſunt, laus & vituperium: hinc noſtram & aliorum agendi rationem vel acceptam habemus vel improbamus. Simili calculo reputantur propenſiones naturaleſque aliorum in alios affectus hominum, quales ſunt amicitia, benevolentia, gratus vel infenſus animus, odium, ira, querelæ, & exprobationes: qui affectus, dempta libertate, nulli exiſterent. Libertas denique quia clavis eſt, ut ita dicam, intelligendæ totius humanæ naturæ, qui eam tollit, omnia convellit ſubruitque.

§. XI.

Quare libertas in dubium adducta ſit.

MIRUM ergo eſt addubitatum ſerio fuiſſe an homo liber, an ſuæ penes illum actiones eſſent? Minus quidem admirationis pareret hæc addubitatio, ſi res diſceptaretur extra hominem poſita. Sed hoc loco idipſum quærimus quod intra nos ipſos peragitur, cujus ineſt nobis internus, & proximus ſenſus quem ſingulis diebus experimur. Sed qua de cauſa ex mentis noſtræ facultatibus aliam in dubium revocant, & potius quærunt an homo ſit liber, quam utrum intellectu præditus ſit & voluntate? Neque enim magis ſumus nobis intellectus & vo-

& voluntatis conſcii quam libertatis. Verum nonnulli acutiores Philoſophi de libertate ſubtilius diſſerentes, ejus, ut ita dicam, naturam immutarunt, & quoniam quibuſdam objectis paratum non habebant reſponſum, hæc potius objecta quam certiſſimas rei probationes attenderunt, unde ſenſim eo ventum eſt, ut libertatis noſtræ ſenſum arbitrati ſint commentitium forſitan & inanem eſſe. Equidem in veritatis diſquiſitione omnino neceſſarium eſt undequaque rem intueri, cujus in utramque partem rationes expendendæ ſunt; cavendum tamen ne objectionibus plus addatur ponderis quam in ſe habeant. Noſtra nos experientia docet multis rebus quas merito certiſſimas habemus nodos quoſdam ſubeſſe quos liquide non expedimus. Neque hoc mirum videri debet, eſt enim finita mens hominum. Ex iis igitur quæ dicta ſunt ſic mecum collige: *Quoties veris probationibus nititur aliqua veritas, quidquid adverſus eam veritatem objicitur, infixam menti perſuaſionem nec commovere nec debilitare debet, ſi tantum tricæ nectantur, quæ quidem faceſſunt negotium, ſed vim non convellunt argumentorum*. Quam hic *Regulam* ſtatuimus, ſic eſt in omnibus ſcientiis neceſſaria, ut ab ea nunquam ſit divertendum. (*) Sed ad propoſitum redeamus.

§. XII.

(*) Longe aliud eſt intellegire rem aliquam abſurdam eſſe, aliud neſcire quidquid ad eam rem pertinet: multumque intereſt an de quadam veri-

§. XII.

De actionibus *voluntariis*, & *non voluntariis*, *liberis*, *neceſſariis*; & *coactis*.

Actiones voluntarias ſeu humanas in univerſum illas vocamus : *quæ pendent a voluntate*; ſed liberas illas dicimus, *quarum parens eſt libertas*, quaſque noſtra mens ad arbitrium ſuum vel habere ſuſpenſas vel flectere poteſt. *Voluntario* opponitur *non voluntarium*; ſed *libertati* adverſatur *neceſſitas*, ſive id quod per *vim*, & *coacti* præſtamus. Omnes humanæ actiones voluntariæ ſunt, quia nulla eſt quæ ortum a nobis non habeat, quamque ipſi non faciamus, ſed ſi propter alienam vim cui non valemus obſiſtere, impediamur ne quid agamus, vel illud inviti cogamur agere, voluntate noſtra non aſſentiente, veluti ſi quis validior correptam noſtram manum ad alterum lædendum adhibeat, actio elicita cum non ſit voluntaria, non eſt vere noſtra actio, ſed illius qui vi nos ad agendum impulit.

Sed aliter ſe res habet quoad illas actiones quas non ob aliam cauſam coacti præſtamus, quam quoniam aliquod proxime no-

veritate quæſtio proponatur inſolubilis, vel utrum contra quamdam veritatem objectum emergat inſolubile; ſed plerique duplex illud quæſtionum genus inconſulto permiſcent. Namque objectum inſolubile, ideo falſum arguit eſſe, quod verum putabatur, quoniam aliquid ſequeretur abſurdum. Sed de quadam veritate propoſita quæſtio inſolubilis noſtram tantum inſcitiam oſtendit in multis quæ ad notionem aliunde certiſſimam pertinent.

nobis imminens grave periculum malumve extimeſcimus; veluti ſi Princeps iniquus ſimul, & crudelis judicem adigeret ad aliquem damnandum inſontem, ipſi judici, ni obſequatur, mortem intentando. Ejuſmodi actiones, licet ex altera parte coactæ ſint, nec enim illas niſi reluctantes aggredimur, nec iis unquam niſi ob ingentem graviſſimam neceſſitatem aſſentiremus, ejuſmodi actiones, inquam, inter voluntarias recenſentur. Quidquid enim obtendas, nihilominus ex deliberata proficiſcuntur voluntate, quæ quoniam duo mala vitare nequit, alterum eligit, & quod ſibi videtur minus grave, præfert graviſſimo. Id quod novis exemplis melius adhuc explanabitur.

Pauperi ſuam inopiam ærumnamque palam facienti levamentum quis affert: hæc actio *voluntaria* ſimul & *libera* eſt. Sed alius iter faciens ſolus inermiſque in manus prædonum incidit præſentem mortem intentantium, ni faciat illis eorum copiam quæcumque habet: viator cum vitæ ſervandæ cauſa ſuam omnem pecuniam prædonibus illis habendam permittit, actionem quidem præſtat *voluntariam*, ſed *coactam* neque liberam. Unde etiam ejuſmodi actiones nonnulli *mixtas* nuncupant, quia partim *voluntariæ* ſunt, partim *non voluntariæ*. Voluntariæ ſunt, quoniam earum fons ab eo manat qui agit, & ad illas minima de malis eligens voluntas convertitur. Sed partim non voluntariæ ſunt, quia contra ſuam propenſionem illas voluntas exequitur, quas

nunquam exequeretur, ſi declinandi periculi poſſet aliam nanciſci rationem.

Aliud etiam in hoc argumento adnotandum venit. Etenim malum imminens ita grave debet eſſe, ut non ſine multa cauſa vir ſapiens metu afficiatur; tum præterea requiritur ut cogendæ noſtræ libertatis jus nullum is habeat a quo cogimur, nec teneamur quidvis ferre potius quam illi non obſequamur. Quibus ita poſitis rationi prorſus conſentaneum eſt, ut cum e duobus malis alterutrum vitari non poteſt, minimum eligamus. Quæ talis adhibita vis neceſſitatem affert quam *moralem* dicimus: ſed contra cum ita cogimur agere, ut nullum ſuperſit effugium, hanc vocamus *neceſſitatem phyſicam*.

Philoſophicæ accurationis eſt ut quæ *libera* ſunt, a *voluntariis* ſecernantur. Etenim ex iis quæ modo diximus facile intelligitur omnes actiones quæ liberæ ſunt voluntarias eſſe, ſed omnes actiones quæ voluntariæ ſunt non eſſe liberas. Communis tamen, & vulgaris ſermo promiſcue has voces uſurpat, quod ideo putavimus adnotandum, ut omnis tollatur æquivocatio.

Morum etiam nomine quandoque vocamus *actiones liberas, prout eas mens ſpectat tanquam regulæ obnoxias*. Inde fit ut *moralem diſciplinam* vocemus *hanc artem qua docemur tum agendi regulas, tum rationem iis regulis actiones noſtras accommodandi*.

§. XIII.

§. XIII.

Nostram circa mentis facultates diſputationem nonnullis adnotationibus concludemus, ex quibus earum facultatum tum natura tum uſus melius innoteſcent. Humanæ facultates ſe invicem juvant.

Humanæ facultates ſibi mutuam operam præſtant, & quoniam in eadem ſede una commorantur, ideo conjunctis viribus agunt. Jam ſuperius dictum eſt intellectum voluntati præire, libertatiſque ducem eſſe rationem. Itaque intellectus, voluntas, & libertas, imaginandi vis, & memoria, inſtinctus, propenſiones, atque cupiditates, ſunt totidem eliciendi cujuſdam effectus inſtrumenta, quibus ſingulis viribus conjunctis ad veritatis tandem cognitionem, & perfruenda vera bona deducimur, in quo utroque ſita eſt hominum perfectio atque felicitas.

§. XIV.

Sed quo nobis hæc omnia commoda comparemus, mentis noſtræ facultates ſanas oportet eſſe, quibus recte utamur, naturalemque concentum foveamus inter has ipſas facultates varioſque motus quibus ad quaſdam res objectas impellimur, aut ab iis abalienamur. Noſtrarum igitur facultatum non ſatis eſt noſſe quæ *communis*, & *naturalis* ſit conditio, ſed præterea ſciendum eſt in quo earumdem *perfectio* atque uſus conſi- Quid ſit Ratio, quid Virtus.

ſiſtant. Quoniam igitur circa veritatem cognoſcendam proprie verſatur intellectus, hæc mentis noſtræ facultas perfecta tum eſt, cum veritatem liquido compertam habemus, nimirum illud veritatis genus quod noſtra plurimi refert dignoviſſe, tum ut officiis noſtris fungamur, tum ut aſſequamur felicitatem. Intellectus autem ut perfectus evadat, animi ſibi conſtans attentio, judicium rectum, & vera ratiocinatio neceſſaria ſunt. *Intellectus* ita *perfectus jamque notionibus illis informatus quarum ope* VERUM atque UTILE *cognoſcit*, *& dijudicat*, proprie nuncupatur RATIO. Atque hinc fit ut Ratio dicatur *Lux* mentis, & *regula*, cui ſemper in judiciis, & factis noſtris parendum ſit.

Simili ratione ſi perfectam voluntatem conſideremus, ejus perfectionem deprehendemus ſitam eſſe *in vi*, *& conſuetudine bonarum partium ſemper amplectendarum*, id eſt, *dictata Rationis perſeveranter auſcultandi*, *nec aliter utendi noſtra libertate quam ut quod eſt optimum eligamus*. Sapiens ille voluntatis dirigendæ modus proprie dicitur VIRTUS, aut etiam quandoque nomine RATIONIS indicatur. Et quoniam noſtræ mentis perfectio pendet a mutuis inter ſe facultatum noſtrarum auxiliis, quo tempore perfectiſſimæ ſunt, hinc etiam in latiori ſignificatione *Ratio* nonnunquam idem ſonat ac *ipſa mens ſuis omnibus facultatibus inſtructa*, *quibus* jam nunc recte utitur. Itaque *Rationis* vocabulum conjunctam ſemper habet *perfectionis* opinionem, quæ modo totam

tam mentem, modo ſingularem aliquam illius facultatem indicat.

§. XV.

Undenam tam diverſa ſit hominum gendi ratio.

Quas memoravimus facultates omnibus hominibus ſunt communes, ſed neque in ſingulis pariter vigent, nec ſimiliter diriguntur. Præterquamquod enim in quolibet homine circumſcriptos gradus habent, id eſt, initium ſuum, incrementum, perfectionem, imminutionem atque interitum, quemadmodum in organis corporeis ſolet contingere, multum etiam in ſingulis hominibus diverſæ ſunt. Hujus eſt acrior intellectus, illius autem ſunt ſubtiliores ſenſus: ille potiorem habet imaginandi vim, hic autem vehementiores affectus, quæ omnia infinitis propemodum rationibus inter ſe conjunguntur varianturque, prout in quoque varia eſt indoles, inſtitutio, exemplorum vis, & occaſionum ex quibus anſam nactus eſt hanc vel illam facultatem, has vel illas propenſiones exercendi; plus enim minuſve exercitatione corroborantur. Ex illo fonte ſcaturit mira illa ingeniorum, ſtudiorum, atque conſuetudinum diverſitas, quæ cujuſvis hominis mores gignit, & quam dicimus cujuſque indolem: quæ diverſitas tantum abeſt ut ſit inutilis, cum contra juxta divinæ providentiæ placitum, maximus ſit ejus diverſitatis uſus.

§. XVI.

Sed quodcumque ſit propenſionum, cupiditatum, morumque contractorum robur, nihilominus operæ pretium eſt adnotare, nunquam illis inſuperabilem vim ineſſe propter quam cogantur homines imperium detrectare Rationis. Sua ſemper eſt Rationis præſtantia, cujus manent ſemper ſalva jura. Ratio convenientem operam & diligentiam impendens malos affectus emendare poteſt, pravas conſuetudines antevenire vel etiam eradicare, vehementiſſimas cupiditates ſapienter præcavendo frænare, ſenſim imminuere, atque demum extirpare, vel ſaltem illas intra æquos limites cohibere. Quæ omnia diximus vera demonſtrantur eſſe, quoniam noſtræ nobis libertatis conſcii ſumus, cum varios affectus noſtros ſequimur, quibus ſi nimium indulſerimus, tacitis urgemur ſtimulis quibus arguimur volentes peccaſſe, ac demum ſententia noſtra innumeris conſtat experimentis. Neque tamen inficiabimur pravorum affectuum ſuperandorum multum laborem eſſe, ſed qui labor abunde penſatur gloria tantam victoriam ſubſequente, necnon partis exinde veris commodis.

CA.

CAPUT III.

HOMO, *ita ut antea dictum eſt, comparatus*, DIRECTIONEM MORALEM *admittit, actionumque ſuarum rationem ideo redditurus eſt*.

§. I.

Hominis agendi ratio *directionem* admittit.

EX hominis natura quantum ad jus ſpectata ſequitur *hominem ita comparatum eſſe ut reipſa electionem in ſuis actionibus & directionem admittat*. Etenim cum poſſit facultatum ſuarum ope rerum naturam ſtatumque dignoſcere, atque ex illis cognitis judicium inferre; cum illi poteſtas inſit partium oblatarum utram velit amplecti; ac denique cum multa ſint, in quibus valeat libertatis ſuæ vi pro arbitrio ſuo vel ſuſpenſas actiones ſuas habere, vel in eiſdem pergere, liquet profecto penes hominem ſuas actiones eſſe, quibus quodam modo imperitat, & per quod imperium eas huc vel illuc convertit. Unde intelligitur quamobrem neceſſum erat, quemadmodum hinc orſi ſumus, hominis a principio naturam & facultates exploraremus. Quas enim homini regulas ad agendum præcipies, niſi prius noveris quemadmodum agat, & quibus, ut ita dicam, machinis moveatur.

§. II.

Ex qua adnotatione ſequitur alia, hominem nempe, cum ſit actionum ſuarum proximus effector, earum teneri rationem reddere, eaſque illi merito imputari. Quod hic neceſſe eſt paucis explicare. Ex arithmetica deducitur verbum *imputare*, quod proprie ſignificat *aliquem alicujus pecuniæ debitorem inſcribere. Actionem alicui imputare* idem eſt igitur *ac eam illi tanquam ejus vero auctori tribuere, ejuſdemque illum, ut ita dicam, debitorem inſcribere, cujus proinde rationem reddere teneatur.* Manifeſtum autem eſt humanarum actionum, prout ab intellectu & voluntate ſuum ortum & directionem habent, eam naturam eſſe ut merito *imputentur*, id eſt, juſta de cauſa poſſe hominem earum actionum auctorem haberi, ſeu cauſam effectricem, ideoque earumdem ab illo rationem jure peti, effectuſque illi merito tribui quicumque ab his actionibus natura profluunt. Neque vero alia cauſa eſt, cur quis non poſſit queri quod ſibi quædam actio imputetur, niſi quod ipſe ſciens volenſque illam ediderit. Atque ex ea ſententia communi omnium calculo comprobata fere omnia dijudicantur quæ fiunt in homines dicunturque, eidemque ſententiæ ſua cujuſvis conſcientia ſponte ſuffragatur.

§. III.

§. III.

ITAQUE humanarum actionum imputandarum ſit hoc præcipuum inconcuſſumque principium: *Omnis actio voluntaria poteſt imputari*, vel ut aliis vocibus res eadem efferatur, omnis actio vel prætermiſſio in hominis cadens poteſtatem, ei merito imputatur, penes quem erat ut actio vel fieret vel non. Sed contra nobis ea non poteſt actio imputari quam in noſtra poteſtate non erat vel fieri vel omitti. Juris moraliſque diſciplinæ periti prætermiſſiones inter actiones recenſent, quia homines, ſi quid prætermittunt, in ſuarum facultatum exercitio volentes ceſſare judicant.

De *imputabilitate* principium, quæ confundenda non eſt cum *imputatione*.

Hinc oritur genuina cauſa propter quam actio vel prætermiſſio poſſit imputari, & ſic ſe habet imputandarum actionum ſeu *imputabilitatis* fundamentum. Sed prorſus advertendum eſt ex eo quod actio ſit imputabilis non ideo *jam nunc imputandam eſſe*. *Imputabilitas* enim & imputatio ſecernendæ ſunt. *Imputatio* enim non ſolum requirit *imputabilitatem*, ſed inſuper *quamdam neceſſitatem moralem* agendi vel non agendi hoc vel illo modo: ſeu quod idem eſt, ut aliqua de cauſa teneamur facere vel non facere, quod penes nos eſt ut faciamus vel non faciamus.

Quod utrumque imputandarum actionum genus non ſatis accurate videtur Pufendorfius ſecreviſſe. * Eam nos diſtinctionem hic tantum indicabimus. Cœterum de præſen-

* Vid. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. c. 5. §. 5. &c*

Offic. Hom. & Civ. l. 1. c. 1. §. 17. ſenti, ſeu *actuali*, ut loquuntur, imputatione dicemus, poſtquam *obligationis* naturam explicuerimus, hominesque ſuas actiones revera teneri præſcriptis regulis ſubjicere demonſtratum fuerit.

Quidquid huc uſque diſſeruimus ad naturam humanæ mentis proprie pertinet, ſeu ad interiores hominis facultates, quatenus propter illas ad moralem directionem idoneus eſt. Sed ut naturam hominis penitus habeamus perſpectam, diſpiciendum inſuper eſt quemadmodum homo ſe extrinſecus habeat, quarum ſit rerum indigus, a quibus pendeat, ad quas res referatur, ſeu quas experiatur varias *relationes*, ac uno verbo inveſtigandi ſunt quos poſſis dicere *varios ſtatus hominis*. Ex noſtro enim ſtatu ſituque judicandum eſt quis futurus ſit ingenitarum nobis facultatum uſus.

CAPUT IV.

In quo pergitur eorum inquiſitio quæ ad NATURAM HUMANAM *pertinent, varios ſcilicet ſtatus hominis explorando.*

§. I.

Definitio. Diviſio. VARII ſtatus hominis nihil ſunt aliud quam *ejus poſitio quantum ad res quæ illum circumſtant, tum quæ ex hac poſitione naturæ relationes oriuntur.*

Impræſentiarum ſatis habebimus præcipuos

puos hominis ſtatus in univerſum delibare, & ſingulorum quid proprium ſit exerere, neque jam nunc peculiarem cujuſvis ſtatus indagationem aggrediemur, cui ſuus erit locus, cum de quolibet ſtatu ſingulariter diſſeremus.

Varios omnes ſtatus hominis ad duplex genus juvat referre: alii ſunt ſtatus *primigenii innatique*; alii vero ſunt *ſtatus ſupervenientes* ſeu *adventitii*.

§. II.

Status primogenii innatique.

Status primigenii innatique illi ſunt *in quibus homo ipſa Dei manu conſtitutus eſt, nullo hominis facto intercedente.*

1. Status hominis quod ad Deum attinet.

Hujuſmodi primo eſt ſtatus hominis quod ad Deum attinet, ſiquidem homo propter hunc ſtatum Deo ſit *omnino obnoxius*. Etenim homo ſi vel tantillum facultatibus ſuis utantur, & ſe ipſum ſcrutetur, liquido perſpicit, & vitam & rationem, atque omnia vitæ rationique adjuncta commoda ſibi a ſummo illo Deo conceſſa eſſe, in quibus etiam omnibus apertiſſimo modo ſui Conditoris & potentiam & benignitatem quibuſvis diebus experitur.

§. III.

Primigenius etiam & innatus eſt aliorum cum aliis ſtatus hominum. Eamdem ſinguli terram incolunt, alii nempe juxta alios conſtituti, communemque ſingulis naturam

turam ſortiti eiſdem facultatibus inſtructi ſunt, eiſdemque propenſionibus, neceſſitatibus, & cupiditatibus afficiuntur. Neque aliis alii carere poſſunt, neque aliter quam datis acceptiſque beneficiis jucundam, & quietam vitam agere. Itaque in hominibus deprehenditur innatum ſe alteris adjungendi deſiderium, unde inter illos operarum & beneficiorum exiſtit communicatio, ex qua gignitur commune bonum omnium & cujuſque privata utilitas. Naturalis ergo ſtatus inter ſe hominum ſtatus eſt conjunctionis ſoſcietatiſque, cum ſocietas nihil ſit aliud quam *plurium in communem utilitatem conjunctio*. Cœterum liquet hunc ſocietatis ſtatum primigenium eſſe, nec enim illius homo, ſed auctor eſt ipſe Deus. Naturalis porro ſocietatis propriæ ſunt *Æqualitas* & *Libertas*. Cunctorum hominum in hac naturali ſocietate ſunt eadem jura, & alieni cujuſvis imperii ſunt immunes, niſi quod uni Deo ſubditi ſunt. Natura enim ſui ipſius quiſque dominus eſt, niſi ſe alicui propter initam pactionem ſubjecerit.

§. IV.

3. Status ſolitudinis. 4. Pax. Bellum.

SOCIETATI opponitur ſolitudo, id eſt, *ſtatus ille in quo putamus fore hominem, ſi ſolus viveret, ſibi uni permiſſus, nullumque habens cum cœteris hominibus commercium*. Fingamus igitur nobis adultum hominem, cujus nulla inſtitutio, nulla ſit cum aliis hominibus conſuetudo, atque ideo nullæ cogni-

cognitiones, niſi quas e proprio penu eruiſſet; equidem hicce homo prorſus eſſet cunctorum animantium miſerrimus, in quo nihil videre eſſet præter imbecillitatem, inſcitiam, & barbariem; qui corpori neceſſaria vix eſſet idoneus comparare, & cui continuo timendum ne fame, vel frigore, vel ferocis alicujus beſtiæ dentibus interiret. Solitudinis ſtatus ille quantum a ſocietate diſcrepat, in qua propter mutua inter ſe hominum adjumenta, cognitiones illas omnes, omnia illa commoda, dulceſque utilitates conſequuntur, quæ vitam efficiunt tutam, felicem, jucundamque. Quæ omnia non aliter vera ſunt, quam ſi homines concordes agant, nec noceant ſibi, ſed beneficiis dandis accipiendiſque concordiam ſuam foveant, qui dicitur ſtatus *Pacis*. Sed qui ex altera parte volunt alios offendere, & qui ex altera coguntur offenſionem propulſare, ii ſunt in ſtatu *Belli*, qui ſtatus & acerbus eſt, & per ſe a ſocietate alienus.

§. V.

Hominis ſtatus quantum ad bona terrena.

ADVERTENDUM deinde venit natura hominem telluri adhærere; cujus e ſinu haurit quæcumque vel ejus ſaluti conducunt, aut vitæ commodis. Unde primigenius alter hominis ſtatus paritur, dignus etiam ad quem animum attendamus.

Corpus humanum ita natura comparatum eſt, ut per ſe ipſum & unice propria vi ſervari nequeat. Plurimis enim in quavis

vis ætate adjumentis externis homo eget, tum ut ſe alat vireſque inſtauret, tum ut ſuas in ſtatu ſano facultates tueatur. Quapropter Deus omnia nobis neceſſaria juxta nos larga manu circumfudit, ſimulque nobis inſtinctus illos doteſque illas indidit quarum ope noſtram in utilitatem quidlibet verteremus. Hominis igitur ſic ſpectati, & prout ſe habet ad ea bona quæ ipſi terra exhibet naturalem conditionem intelliges ſtatum eſſe *indigentiæ ſemperque renaſcentium neceſſitatum*, quibus convenienter nequit conſulere, niſi continuo labore ſolertiam ſuam exacuat. Ejuſmodi præcipui ſunt primigenii innatique ſtatus hominis.

§. VI.

Status *ſupervenientes* vel *adventitii*. 1. Familia. 2. Matrimonium.

SED homo natura liber primigeniam ſuam conditionem haud levibus modis poteſt adtemperare, multaſque & varias res inſtituere, quæ novam inducunt humanæ vitæ faciem. Hinc generantur *ſtatus ſupervenientes* vel *adventitii*, qui proprie ſunt hominis opus, *in quibus ille proprio ſuo facto verſatur, & propter illas quas ipſe ſibi conſtituit vitæ conditiones*, quarum hic præcipuæ ſunt evolvendæ.

Ac primo ſeſe offert ſtatus FAMILIÆ, quæ ſocietas ut magis ad naturam accedit, ſic omnium antiquiſſima, & *Societatis Civilis* fundamentum eſt; ex pluribus enim familiis Populus conflatur ſeu Natio.

Ex matrimonio ſuum ortum habent fami-

miliæ; ad conjugium autem homines allicit ipſa natura. Hinc liberi naſcuntur qui familias non ſinunt extingui, ſed humanam ſocietatem fovent, & quæ mors quotidie infert damna reſarciunt.

Statum familiæ ſubſequuntur variæ conditiones, qualis eſt *Mariti*, & *Uxoris*, *Patris*, *Matris*, & *Liberorum*, *Fratrum*, *Sororumque*; atque ſic omnes alii conſanguinitatis gradus, quo primo vinculo homines inter ſe devinciuntur.

§. VII.

3. Hominis in ortu ſuo imbecillitas.

4. Liberi natura parentibus ſunt obnoxii.

Hominem in ortu ſuo ſi ſpectes, mera ſe prodit in illo tum mentis tum corporis imbecillitas, & impotentia. Quem etiam imbecillitatis, & infantiæ ſtatum advertendum eſt in homine quam in cœteris animantibus eſſe diuturniorem. Eum innumeræ circumſtant premuntque neceſſitates, quibus quoniam nequit conſulere, mentis intellectu viribuſque corporis pariter deficientibus, idcirco ſingulari aliorum ope neceſſe eſt illi ſubveniatur. Quamobrem divina providentia parentibus naturalem illum impulſum ſeu eam charitatem indidit, qua ita vehementer afficiuntur, ut laborem quemvis graviſſimum lubentes aggrediantur, propter eorum, quos genuerunt ſalutem, & utilitatem. Ex hac eadem imbecillitate atque ignorantia, in qua naſcuntur homines, etiam fit ut liberi natura parentibus *obnoxii* ſint; natura enim neceſ-

ſariam auctoritatem poteſtatemque parentibus tribuit, ad eos regendos quorum debent utilitatem promovere.

§. VIII.

5. *Dominii* ſtatus.

Magni etiam momenti eſt conſtitutum inter homines bonorum dominium, quæ conſtitutio novum peperit ſtatum adventitium. Primigenium enim jus illud quod unicuique in univerſa terræ bona competebat, ſic adtemperatur per novum illud dominium, ut quoniam accurata eſt eorum diſtinctio quæ ad quemque pertinere debent, ſingulis illarum rerum quas poſſident placidus, & quietus uſus aſſeratur: quæ ratio prorſus aptiſſima eſt ad fovendam hominum inter ſe pacem atque concordiam. Sed ſiquidem fuit hoc hominum primigenium jus, ut quæcumque in eorum utilitatem e terra gignuntur, eiſdem in commune uterentur, profecto liquet jus illud, ſi jam diverſimode coarctatum ſit, non aliter quam humano aliquo facto fuiſſe coarctatum, atque ideo inter ſtatus adventitios recenſendum eſſe *Dominium* per quod naturale jus circumſcriptum eſt.

§. IX.

6. Status *Civilis*, *adminiſtratio publica*.

Verum inter eos omnes ſtatus ex humano facto generatos primum locum obtinet *Status Civilis* ſeu *Societas Civilis*, & adminiſtratio publica. Hæc autem Societas Ci-

Civilis ab ea, de qua prius dictum eſt, naturali ſocietate potiſſimum in eo differt, quod homines cum antea *pares* eſſent, & *neuter alteri obnoxius*, jam alieno imperio ſeu *ſummæ auctoritati* ſubjiciantur. Initio rerum homines non in Populos, ſed in familias diſtinguebantur. Eæ porro familiæ paterno ductu regebantur vel patris vel avi. Sed aucto familiarum numero, & earum viribus in communem defenſionem adunatis, cœperunt in populum coaleſcere, quem ille vel illi arbitrio ſuo moderabantur cui vel quibus demandatum erat ſummum imperium. Hinc *Adminiſtratio Civilis* nata eſt, necnon *Principis*, & *ſubditorum* diſtinctio.

§. X.

Ex Statu Civili & rerum dominio dimanant plures alii ſtatus adventitii

Ex Statu Civili, & rerum dominio dimanant plures aliæ conſtitutiones, quæ ſocietatis ornatus, & pulchritudo ſunt, & ex quibus totidem naſcuntur ſtatus adventitii: qualia ſunt eorum munia qui publicæ adminiſtrationis ſunt participes; hujuſmodi ſunt Magiſtratus, Judices, Principum adminiſtri, rebus ſacris præpoſiti, Doctores &c. Quibus addendæ ſunt artes, Agricultura, Navigatio, Mercatura, tum quæ omnia ex illis pendent, unde totidem exiſtunt peculiares hominum conditiones quæ utilem ſane varietatem in vitam humanam inducunt.

§. XI.

Quis vere ſit *ſtatus naturalis* hominis.

Atque ii ſunt præcipui ſtatus ex humano facto generati. Verumtamen quoniam homo primigenium ſtatum ſuum variis modis adtemperavit ex vi quidem *libertatis naturalis*, ideo quæ hinc oriuntur nova & diverſa vitæ genera haberi debent ut totidem *ſtatus naturales*; ſi tamen quidquid homines conſtituunt; id ſuæ naturæ, videlicet *rationi* & *ſocietati* conſentaneum ſit.

De quo argumento non abs re erit advertere, cum de *naturali ſtatu* hominis diſputamus, non ſolum intelligendum eſſe ſtatum illum naturalem, & primigenium, in quo, ut ita dicam, ipſa naturæ manu homo conſtitutus eſt; ſed etiam intelligendi ſunt ſtatus illi omnes, quos homo proprio ſuo facto induit, & qui revera non tantum cum illius natura atque indole, ſed etiam cum eo fine conſentiunt in quem natus eſt.

Naturalem enim ſtatum hominis ut vere perſpectum habeamus, advertendum imprimis eſt, poſſe hominem, cum ſit intellectu præditus, & libertate, tum dignoſcere ſuam ſortem, tum ſibi propoſitum finem diſpicere, atque ut eum aſſequatur certam rationem inire. Quibus ita poſitis, ſequitur naturalem ſtatum hominis in lata ſua ſignificatione, illum eſſe, *qui conſentit cum hominis natura, & conditione, necnon cum ratione, & recto facultatum humanarum uſu,*

poſt-

poſtquam ſuam maturitatem, & perfectionem hæ facultates aſſequutæ ſunt. Quæ ultima definitio eo magis attendenda eſt, quod quanti momenti ſit clarius innoteſcet, cum illam in multis argumentis uſui apponemus.

§. XII.

Statuum primigeniorum & adventitiorum differentia.

Advertendum etiam diſcrimen eſt quod inter ſtatum primigenium & adventitium interjacet. Status enim primigenius ideo omnium hominum communis eſt, quoniam adhæret hominis naturæ atque indoli quales illas accepit a Deo. Sed aliter ſe habent ſtatus adventitii, qui cum factum aliquod humanum præſupponant, non quibuſvis indiſcriminatim hominibus conveniunt, ſed iis dumtaxat, qui hanc vel illam vitæ conditionem ſibi ipſi adepti ſunt.

Superaddendum tandem eſt plures illos ſtatus adventitios, modo ſibi invicem non adverſentur, in eodem homine conjunctos adunatoſque inveniri poſſe. Sic aliquis ſimul poteſt eſſe *Paterfamilias*, *Judex*, *Reipublicæ adminiſter* &c.

Hominis natura ejuſque varii ſtatus eo quo diximus modo intelligendi ſunt, & ex omnibus enumeratis partibus totum exiſtit *humanitatis ſyſtema*. Eas eſſe dixeris alicujus machinæ totidem rotulas, quæ invicem interpoſitæ, & inter ſe ſolerter aptatæ, in eumdem finem coeunt; quæ ſi ine-

pte moveantur, mutuis ictibus conteruntur. Verumenimvero qui fieri poteſt ut homines mediam hanc prudentemque viam inſiſtant, quave norma; ſe ipſos dirigent ut felicem illum quem intendunt finem aſſequantur? Hoc ſcilicet erat quod hic expenderemus, & erit illa ſubſequentium diſquiſitionum materia.

CAPUT V.

In ſuo vivendi modo debent homines REGULAM *ſequi: quæ ſit ratio hujus Regulæ inveniendæ, tum quæ ſint in univerſum* JURIS FUNDAMENTA.

§. I.

Quid ſit *Regula*?

EX verborum ſignificatione ſermonem ordiamur. Regula, in ſenſu proprio, eſt *inſtrumentum, cujus ope a puncto ad punctum deducitur linea omnium breviſſima, quæ idcirco vocatur recta.*

In ſenſu figurato & morali, Regula nihil aliud eſt quam *Principium, Præceptum, homini ſuppeditans tutam & compendioſam rationem, ut quem ſibi proponit finem aſſequatur.*

§. II.

E re non eſt ut homo vitam agat ab-

DE quo argumento primum quæritur, an vere hominibus expediat, ut in iis quæ-

quæcumque faciunt, Regulam ſequantur certam & immutabilem? Vel num contra normem. poſſint, nullo habito rerum actionumque diſcrimine, quibuslibet voluntatis affectibus obſequi, atque ſic nullo cohibiti retinaculo totos ſe permittere inconſultis, ut ita dicam, voluntatis ſubſultibus, cujus eſt ea indoles, ut in quamlibet partem ſumma mobilitate circumferatur.

Vid. *Pufend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. I.*

Sed ex iis quæ ſuperius diſputata ſunt jam ſatis intelligitur naturam & indolem hominis eam eſſe, quæ Regulam poſcat conſtitui, neque hujus rei probationi neceſſe eſt multum immorari. Rerum omnium creatarum ſua deſtinatio, ſuus eſt finis, unde quævis res creata *Principio directionis* ſibi proprio ad ſuam *metam* deducitur. Sed enim huic ordini univerſe conſtituto procul dubio ſubeſt homo, qui res creatas quæ illum circumſtant adeo ſupereminet. Homo namque ſeu in ſe ipſo ſpectetur, prout eſt intellectu præditus & ratione, ſeu, ut pars eſt humanæ ſocietatis, ſeu tandem ut opificium Dei eſt, ex quo ſuam exiſtentiam, ſuas facultates, ſortemque ſuam accepit, quacumque ratione homo, inquam, conſideretur, ex enumeratis omnibus evidenter indigitatur *finis aliquis, aliqua deſtinatio*, atque idcirco *Regulæ* neceſſitas arguitur. Facultatum hominis nobiliſſimarum nulla prorſus eſſet utilitas, ſi temere vivendi facta illi eſſet licentia, nihil habenti certum definitumque, loci quo tendat, & inſiſtendæ viæ neſcio.

Quamobrem omne circa Regulæ neceſſitatem dubium ſecludatur, ac potius Regulam illam inquiramus ex qua ſola humanæ vitæ ordo & venuſtas exiſtere poſſunt, quæ nimirum lucem affundat homini, ejuſque actiones in eum finem ordinet, qui ſit dignus homine.

§. III.

Regula præſupponit *ſcopum, finem.*

Qui Regulam dicit humanarum actionum, is evidenter duo præſupponit; primo ſcilicet poſſe hominem in actionibus ſuis dirigi, id quod jam antea demonſtratum eſt; tum deinde homini in ſuis actionibus conſiliiſque propoſitum eſſe finem quem vult adipiſci.

§. IV.

Hominis felicitas ultimus ejus finis eſt.

Verum homines, modo ſe tantillum expendant, brevi compertum habent, ſe quidquid agunt in ſuam felicitatem agere, ſuarumque omnium actionum hunc ultimum finem, hanc ultimam metam eſſe. Cujus quidem primigeniæ veritatis interno & continuo ſenſu ſumus nobis conſcii. Ea eſt enim natura hominis ut neceſſario ſe ipſum amet, ſemperque in quibuſcumque rebus utilitati ſuæ ſtudeat, a qua non poteſt eſſe alienus. Natura enim cupimus quod bonum eſt, idque ipſum neceſſario avemus obtinere. Quæ boni cupiditas noſtras omnes cogitationes anteit, nec hominum electio-

ctio-

ctioni permittitur. Boni nempe cupiditas illa ſic eſt humanarum mentium dominatrix, ut eorum quæcumque ſtatuimus cauſa ſit; neque aliquod ſingulare bonum expetimus, niſi quoniam ad bonum generatim ſpectatum natura impellimur. Quam noſtræ voluntatis propenſionem immutare in noſtro arbitrio non eſt poſitum, quippe quam ipſe hominum conditor hominibus indidit.

§. V.

Boni cupiditas Providentiæ ſyſtema eſt.

Quod Providentiæ ſyſtema ad omnes res creatas cognitione ſenſuque præditas extenditur. Quin ipſis animantibus idem inſtinctus eſt; ſingulæ namque ſe ipſas amant, omnimoda ratione ſalutem ſuam tuentur; quod *bonum* vel *utile* ſibi videtur, id vehementer appetunt, ſed contra, quod *noxium* vel *malum* videtur, ab eo abhorrent. Eadem in hominibus impulſio deprehenditur, quæ non ſolum dici poteſt inſtinctus, ſed etiam ſana propenſio eſt, quam Ratio comprobat, efficitque comprobando validiorem. Inde fit ut illud certo nobis acceptum ſit quod noſtræ felicitatis promovendæ judicamus idoneum; illud autem averſemur, quod ne ſimus felices putamus obſtare. Ex eo fonte manat quidquid hominibus placet, præcipuum illud incentivum eſt, quo ad agendum impelluntur, idque intelliges eo verius eſſe, quo magis hominem indagabis.

§. VI.

Homo natura felicitatem cupit, quæ cupiditas non poteſt a Ratione ſejungi.

ENIMVERO, ſi quidquid intellectu præditum eſt & ratione propoſitum ſibi ſemper habeat in ſuis factis aliquem finem, liquet etiam finem illum ultimo loco non alium eſſe, quam ipſius naturæ intelligentis utilitatem atque felicitatem. Quapropter felicitatis cupiditas non minus ad naturam hominis pertinet quam ipſa Ratio, nec alia poteſt ab altera ſejungi. RATIO enim, ut vox ipſa indicat, idem ſonat ac COMPUTATIO. Ratiocinari idem eſt ac computare, rationem inire, ut omnibus hinc illinc exploratis, ex qua parte lucrum ſtat, appareat. Itaque pugnaret hoc ſecum, ut quis intellectu præditus commoda ſua non curaret, neque ſuæ felicitatis eſſet ſtudioſus.

§. VII.

Noſtri ipſorum amor principium eſt neutiquam ex ſe pravum.

QUOCIRCA cavendum imprimis eſt, ne noſtri ipſorum amorem, ſenſumque illum quo noſtræ felicitati tam vehementer adhæreſcimus, principium ex ſe malum arbitremur, & ex affectu depravato genitum. Sic enim naturæ noſtræ auctorem incuſaremus, ejuſque in venenum converteremus præſtantiſſima munera. Bonum eſt hoc quidquid a conditore ſumme perfecto defluxit. Equidem propter hominum in ſe ipſis amandis inſcitiam & imprudentiam innumera mala ſolet parere noſtri ipſorum amor; ſed ſi

quis

quis hunc amorem ideo in ſe malum judicet, ne is rationem ipſam damnabit; neque enim homines vel turpiſſimos errores admittunt, vel in maxima vitia decidunt, niſi quia ratione perperam utuntur.

Mirum forſan videbitur quod immorati tamdiu ſimus in evolvendo principio, quod omnibus debet perſpicuum eſſe, ipſiſque indoctis non ſecus ac doctis. Sed hanc veritatem diligenter enucleare ideo fuit neceſſarium, quia ſummi momenti eſt, & clavis, ut ita dicam, quæ hominis ſyſtema reſerat. Equidem inter omnes moralis diſciplinæ magiſtros convenit natum hominem eſſe ad felicitatem cujus eſt illis innata cupiditas: (Quis enim hanc naturæ vocem non audiat ex mentis erumpentem penetralibus?) Sed multi principium hoc licet compertum habeant, ab eo tamen videntur aberrare; nec genuinas ejus conſecutiones ſatis attendere, ſed longe diverſis fundamentis, quæ ſibi non ſemel adverſantur, ſyſtema ſuum inædificant.

§. VIII.

Felicitatem homo non poteſt aſſequi niſi Rationis ope.

CERTUM eſt hominem quidquid agit, idipſum propter ſuam felicitatem agere; ſed neque minus certum eſt *ad felicitatem unice perveniri* RATIONIS *ope*.

Quæ ultima veritas ut ſe manifeſtam prodat, ſatis erit expendere, quid ſit felicitas, quid bonum, quid malum, & ſub qua ſpecie nobis innoteſcant. *Felicitas* eſt inte-

interius hoc mentis gaudium quod ex boni poſſeſſione gignitur: *Bonum* autem eſt illud quidquid homini convenit ad ejus tuitionem, perfectionem, oblectamentum, voluptatemque. Bono opponitur *Malum*.

Homines vero indeſinenter experiuntur, alia eſſe quæ ſibi expediant, alia non; inter illa ipſa quæ expediunt, alia magis quam alia expedire; ac demum illam rerum convenientiam plerumque pendere ex bono vel malo rerum uſu: contingit enim ut quæ res expediret, ſi certa ratione atque ad certum modum illa utereris, jam non expediat, ſi definitos legitimi uſus limites tranſilieris. Rerum itaque cum noſtra felicitate convenientiam vel repugnantiam dignoſcemus, bona ſecernemus a malis, ſuo quidquid ordine collocabimus, legitimum rei cuilibet dicemus ſuum pretium, atque huic pretio noſtras cupiditates & diſquiſitiones accommodabimus: hæc, inquam, omnia præſtabimus, ſi prius ipſa nobis innotuerit natura rerum, tum quemadmodum res inter ſe atque ad nos referantur, nec enim alia ratio ſupereſt.

Sed illam judicandarum rerum peritiam quis aſſequatur, niſi qui ſibi veras rerum ideas, mutuaſque illarum affinitates exhibebit, atque recta ratiocinandi methodo incluſas primis illis ideis conſecutiones eliciet? Quæ ſane omnia ſunt opus Rationis. Quin etiam ad aſſequendam felicitatem non ſatis hoc eſt, ſi rerum naturam ſtatumque vere percipias, ſed in tua inſuper agendi

ratio-

ratione neceſſe eſt ut tuis rerum ideis tuoque rerum judicio ſemper voluntas obſequatur. Certiſſimum porro eſt non aliunde quam a Ratione poſſe hominem haurire, atque in ſe vim illam fovere prorſus neceſſariam ut libertate ſua recte utatur, & in eam partem ſemper inclinet quam intellectus ſatiorem eſſe judicat, etiamſi forte aliis affectibus & motibus in contrariam partem impellatur.

§. IX.

Ratio eſt hominis primigenia Regula.

QUÆCUMQUE igitur rerum habeatur ratio, non poſſunt homines felicitatem aſſequi niſi ſolius Rationis ope, quæ etiam illis in hunc præcipuum finem data eſt. Ad hunc, inquam, finem omnes noſtræ mentis facultates, ejus inſtinctus, propenſiones, ipſique affectus referuntur: unde veram humanarum actionum regulam ſola Ratio poteſt indigitare; vel hæc ipſa Ratio, ſi mavis, eſt prima noſtra regula. Fido enim noſtro duce ſecluſa Ratione, temere homo viveret, ſui ipſius, ſuæ originis, deſtinatæ ſibi ſortis neſcius, nec uſum etiam rerum agnoſcens quæ illum circumſtant, ac demum cœco perſimilis in quodlibet offendiculum paſſim incurreret, atque in labyrintho inextricabili ſemper errabundus vagaretur.

§. X.

Quid ſit in univerſum *Jus* vel *Rectum*.

QUIBUS ita poſitis ultro ſe offert prima idea quam in ſe includit vocabulum *Juris* ſeu *Recti*; in latiori autem ſua ſignificatione, & ad quam omnes aliæ ſignificationes quodam modo referuntur, *Jus* ſeu *Rectum* nihil aliud eſt, quam *quidquid Ratio indubitanter agnoſcit & approbat tanquam certiſſimam & compendioſam viam aſſequendæ felicitatis*.

Quæ definitio ex principiis jam antea poſitis oritur. Sed ut quam recta ſit intelligatur, hæc noſtra principia proprius alia aliis admoveamus, ut in eodem conſpectu poſita conjunctim exhibeantur. Enimvero *Rectum* id primo ſignificat quodcumque bene dirigit vel bene dirigitur; *Directio* refertur ad aliquam *metam*, ad quemdam *finem*, quem volumus aſſequi; ultimus finis hominis eſt ejus felicitas; ac demum unica *Rationis* ope poteſt homo felicitatem comparare, ex quibus evidenter conſequens eſt *Jus* ſive *Rectum* generatim ſpectatum nihil aliud eſſe quam quidquid Ratio approbat tanquam certiſſimam, & compendioſam viam aſſequendæ felicitatis. Inde fit etiam ut Ratio diligenter exculta, & eum perfectionis gradum aſſequuta in quo propriæ ſibi perſpicacitatis vim omnem poteſt exerere, ipſa ſibi ſuffragetur & per excellentiam dicatur *Recta Ratio*, utpote cum ſit primum directionis principium, & humanæ felicitatis tutiſſima via.

Ac ne quid in harumce primigeniarum idearum analyſi prætermittatur, non abs res erit hìc adnotare, *Rectum* Gallis dici quod Latini dicunt *Jus*, quæ vox idem ſonat ac *juſſum* ſeu mandatum (1). Duplex illa *Juris* & *Recti* nuncupatio hanc procul dubio cauſam habet, quod quidquid Ratio competit provehendæ noſtræ felicitatis viam eſſe rectam tutamque, id videatur imperando jubere. Quoniam vero tunc Rationis juſſa dignoſcuntur, cum id inquiritur quod *Rectum* eſt, hinc rectæ rationis regulas expendentibus promiſcua fuit idea *Juris* & *Recti*. Uno verbo, cum *Jus* & *Rectum* natura ſibi cohæreant, Latinis idea *Juris*, Gallis placuit idea *Recti*.

(1) *Jus* a *Jubendo*: *Jura* enim veteres *Juſa* ve *Juſſa* vocabant. Feſtus: *Juſa*, *Jura*.

CAPUT VI.

Generales vivendi Regulæ quas Ratio præcipit. De natura Obligationis, & primis ejus fundamentis.

§. I.

PRIMIGENIAM igitur, nec id parvi momenti eſt, humanarum actionum Regulam jam compertam habemus, fidumque ducem illum novimus quo auſpice ſemper incedere homo debet, cujuſque auctoritati monitiſque auſcultare poteſt omnino ſecurus.

Varias inſtituendæ vitæ Regulas Ratio præcipit.

rus. Sed noſtram inveſtigationem ulterius proferamus. Sæpenumero experimur falſa eſſe noſtra judicia de iis quæ vel bona vel mala eſſe duximus, ex qua judiciorum noſtrorum perverſitate admodum damnoſi gignuntur errores. Ducem itaque noſtrum conſulamus Rationem, ab eaque diſcamus quæ natura ſit eorum quæ vere vel bona vel mala ſunt. Sic enim vera nobis felicitas innoteſcet, tum via quæ nobis ad eam aſſequendam ineunda eſt.

§. II.

I. REGULA. Bonorum Malorumque verum diſcrimen habere.

BONA vel Mala, ſi generatim ſpectentur, eorum certa eſt atque immutabilis notio; ſed ſingularia Bona vel Mala, aut quæ talia putantur, multiplici genere continentur.

I. Quapropter primum eſt hoc Rationis conſilium, *ut accurate bonorum malorumque naturam, eorumque inter ſe differentias expendamus, quo verum cuilibet rei pretium dicatur.*

Id autem non eſt ita judicatu difficile. Etenim ſi vel tantillum quotidianam experientiam noſtram attendamus, intelligemus 1. alia eſſe bona mentis, alia corporis, quoniam homo mente conſtat & corpore. Bona mentis *ex ſolis noſtris cogitationibus ortum habent*: corporis vero bona proveniunt *ex rebus extra nos poſitis ſenſuſque noſtros afficientibus*. Itaque mera ſunt hæc bona mentis, quoties, v. g. propter com-

per-

pertam aliquam magni momenti veritatem jucunde afficimur, vel ſi quando nobis ipſi ſuffragamur officio noſtro perfuncti; mera ſunt autem mala mentis, quoties, exempli cauſa, Geometra ringitur non comperta quæſtionis alicujus ſolutione, aut ſi quis male ſibi conſcius mentis anxietate torqueatur. Quod ad Bona vel Mala corporis ſpectat, nemo neſcit in quo illa poſita ſint: Hinc valetudo, robur, venuſtas; illinc morbi, imbecillitas, dolor, &c. Permagni autem hominum intereſt duplex illud attendere bonorum malorumque genus quæ ad mentem corpuſque pertinent; homo enim quoniam mente conſtat & corpore, ejus tum perfectio, tum felicitas, ex ſana pendent utriuſque partis conditione.

2. Quod prima fronte bonum ſeſe exhibuerat frequenter advertimus malum revera eſſe, maximum vero bonum ſæpe deliteſcere in eo quod ſpeciem habet mali. Diſtinguenda ſunt ergo quæ vere bona vel mala ſunt ab iis quæ falſam boni malive ſpeciem habent; ſeu, quod idem eſt, bonum aliquando eſt *mere bonum*, & malum aliquando *mere malum*. Alias boni malique confuſio ea eſt, ut ſtatim non intelligatur utra pars alteri præſtet, bonum malo, vel malum bono.

3. Tertium diſcrimen eſt quod bona malaque alia ſint aliis diuturniora, in quo multiplex eſt bonorum malorumque indoles. Alia enim firma ſunt atque perſtant;

alia

alia vero fluxa nec ſibi conſtantia. Quibus adde bona & mala quædam eſſe quorum, ut ita dicam, ſumus domini, quæque ſic in noſtra ſunt poteſtate, ut aliorum quidem præſtare nos immunes poſſimus, alia vero immota retinere quibus fruamur. Sed hoc uno genere non continentur omnia vel bona vel mala. Namque alia bona ſunt quæ ex nobis elabuntur invitis, quibuſdam vero malis opprimimur, quamvis ea declinare totis viribus enitamur.

4. Alia ſunt bona & mala præſentia quibus jam nunc afficimur; alia ſunt bona & mala futura quæ vel ſperamus vel timemus.

5. Alia ſunt bona & mala privata, quæ tantum in aliquot homines cadunt; alia ſunt communia & univerſa, quorum omnis hominum ſocietas particeps eſt. Verum illud bonum eſt quod ad omnes ſpectat; partis alicujus utilitas, ſi univerſorum utilitatem impugnat, falſam habet speciem boni, atque ideo verum eſt malum.

6. Ex quibus omnibus licet tandem intelligere varia eſſe bonorum malorumque inter ſe diſcrimina pro variis eorumdem generibus, quæ ſi alterum cum altero comparentur, alia bona liquebit aliis eſſe præſtantiora, item alia mala aliis graviora. Sic etiam contingit ut aliquod commodum cum aliquo incommodo collatum vel æquale poſſit eſſe, vel majus vel minus; atque hinc nova gignuntur diſcrimina, ſeu totidem

dem exſurgunt gradus quos operæ pretium eſt attendere.

Quam igitur præcipuam modo Regulam ſtatuimus, ut nimirum vel bona vel mala recto judicio ſecernantur, quam ſit utiliſſima, noſtræque aptiſſima felicitati, ex iis patet quæ jam enumerata ſunt. Sed & alia ſunt Rationis conſilia, ex quibus haud levioris momenti nonnulla juvat recenſere.

§. III.

REGULA II. Quæ ab hominis natura ſtatuque prorſus aliena ſunt, in eis vera felicitas ſita eſſe nequit.

II. Quæ *ab hominis natura ſtatuque prorſus aliena ſunt, in eis vera felicitas ſita eſſe nequit.* Quæ altera Regula ſponte fluit ex ipſa Boni malique notione. Quod enim alicujus Entis naturæ repugnat, hoc ipſo nititur vel deterere illud Ens vel delere, ejuſque conſtitutionem depravare vel adulterare; id autem quoniam hujus Entis ſaluti, perfectioni, utilitatique repugnat adverſa fronte, ejuſdem idcirco felicitatem funditus ſubruit evertitque. Itaque Ratio, cum ſit pars hominis nobiliſſima, & in qua potiſſimum ejus natura poſita eſt, quidquid cum Ratione nequit conciliari, non poteſt hominis generare felicitatem. Præterea illud quodcumque ab hominis conditione ſejunctum eſt, ejuſdem non poteſt conducere felicitati, quo nihil evidentius eſt. Quælibet *natura*, quæ ita conſtituta eſt ut ad alias *naturas* referatur, quibuſcum neceſſario cohæret, in ſe una non debet ſpectari, ſed ſpectanda etiam prout

eſt pars *totius*, ad quod refertur. Liquet autem *naturam* qualemcumque vel bonam vel malam conditionem, felicitatem vel infelicitatem magna ex parte ſortiri, prout bene vel male ſe habet ad alias naturas, quæ illam circumſtant, atque cum illis vel convenit vel repugnat.

§. IV.

Regula III. Præſentia & futura inter ſe comparare.

III. Ad aſſequendam veram felicitatem, *haud ſatis eſt bona vel mala præſentia perſpicere, ſed præterea naturales eorum conſecutiones expendendæ ſunt; ut, cum futuris præſentia comparantes, & utrum præponderet dijudicantes, futurum rei exitum præcognoſcere valeamus.*

Regula IV. Non appetendum bonum ex quo ſequetur majus malum.

IV. *Igitur contra rationem facit, qui bonum appetit, ex quo majus malum ſubſequetur.*

Regula V. Malum perpeti ex quo certo gignendum eſt majus bonum.

V. Sed contra, *Rationi prorſus conſentaneum eſt malum perpeti, ex quo certo gignendum eſt majus bonum.*

Quæ hic præcepta ſtatuimus, eorum veritas momentumque ſuapte dignoſcuntur. Bonum & malum cum ſint contraria, quod ab altero gignitur, ab altero præfocatur, id eſt, certum infortunium inducitur per hujus boni poſſeſſionem, cui bono conjunctum eſt majus malum, & contra felicitas ex levi malo exoritur cui malo connexum eſt majus bonum. Quapropter ſingulis perpenſis aliud leve bonum fugiendum eſt tanquam verum malum, aliud

au-

autem leve malum appetendum eſt tanquam verum bonum.

Ea eſt humanarum rerum natura ut quas hic regulas ſtatuimus neceſſe ſit attendere. Etenim ſingulæ noſtræ actiones ſi ita in ſe ipſis concluſæ atque definitæ eſſent, ut nihil ex illis conſequeretur, non tam frequenter in rerum delectu aberraremus, ſed fere ſemper quæ bona ſunt, eligerentur. Verum noſtra nobis experientia conſtat alium ſæpe rerum exitum eſſe ac futurus videbatur, ita ut amariſſima fiant quorum erat ſpecies jucundiſſima, contra autem vera bona ſibique conſtantia non ſine labore comparari; unde prudentis hominis non eſt præſentibus tantum immorari, ſed & futura quoque reſpicienda ſunt, ut, futuris & præſentibus æqua diligentia perſpectis judicatiſque, in optimam partem inclinemus.

§. V.

VI. Eadem de cauſa *minori bono majus bonum anteponendum eſt; expetenda ſunt ſemper præſtantiſſima bona, quæ nobis apta ſunt; noſtra vero deſideria & diſquiſitiones noſtræ pro boni cujuslibet natura & præſtantia adtemperandæ ſunt.* Quæ Regula ſic evidens eſt, ut actum agat qui eam probandam aggrediatur.

Regula VI. Minori bono majus bonum anteponendum eſt.

§. VI.

REGULA VII. Aliquando ſuſcipienda res, vel quia poſſibilis vel multo etiam magis, quia veriſimilis.

VII. NEUTIQUAM *opus eſt ut quæ magni momenti ſunt vel bona vel mala certiſſima ſint, ſed ſatis eſt, ut quæ bona vel mala ſunt vel poſſibilia ſint, vel, quod magis eſt, veriſimilia, ut vir ſapiens levia quædam bona abneget, aut levia mala quædam perferat, quo multo majora bona conſequatur, vel mala declinet multo graviora.*

Quæ Regula ex præcedentibus ortum habet, eaque quam vera, quam neceſſaria ſit, omnium agendi ratione comprobatur. Enimvero utquid homines tot ſe negotiis implicant, tot labores aggrediuntur, tot moleſtias perferunt, tot caſus adeunt? Sane quoniam propoſita ſibi habent quædam commoda, quæ chariore pretio non putant empta fore, etiamſi commoda hæc nec jam præſentia nec æque certa ſint, ac certa ſunt incommoda quæ futuri commodi cauſa ſuſtinentur.

Rationi certe conſentaneum omnino eſt, ut deficientibus quæ certa ſint, probabilia ſequamur tum in judicando, tum in agendo; neque enim tunc aliud lumen vel alium ducem habemus. Igitur in multis rerum evidentiam ſupplere debet probabilitas, niſi malis incertus errare quam ducem ſequi; vel quia ſol non lucet, lampadem putes extinguendam. Atqui vel debilis facis ope melius quis metam aſſequatur, quam ſi in tenebris perſeveret. Hæc

eſt humanæ vitæ recepta conſuetudo ut probabilia plerumque nos ad agendum impellant, neque enim ſemper omnimoda nobis evidentia poteſt affulgere. SENECA Philoſophus noſtrum illud præceptum pulchre confirmat & enucleat. „ Huic re„ ſpondebimus, numquam expectare nos „ certiſſimam rerum comprehenſionem: „ quoniam in arduo eſt veri exploratio: „ ſed ea ire, qua ducit veriſimilitudo. „ OMNE HAC VIA PROCEDIT OFFI„ CIUM. Sic ſerimus, ſic navigamus, ſic „ militamus, ſic uxores ducimus, ſic li„ beros tollimus, ignari quam omnium „ horum incertus ſit eventus. Ad ea ac„ cedimus, de quibus bene ſperandum cre„ dimus. Quis enim polliceatur ſerenti pro„ ventum, naviganti portum, militanti „ victoriam, marito pudicam uxorem, „ patri pios liberos? Sequimur qua RA„ TIO, non qua veritas trahit. EXPECTA, „ UT NISI BENE CESSURA NON FA„ CIAS, ET NISI COMPERTA VERITA„ TE NIHIL MOVERIS: RELICTO OMNI „ ACTU VITA CONSISTIT. Dum veriſi„ milia me ad hoc aut illud impellant, „ non verebor beneficium dare ei quem „ veriſimile erit gratum eſſe. *De Benefic.* „ *Lib. IV. Cap.* 33.

§. VII.

VIII. NIHIL *omittendum eſt quo vera bona mens noſtra ſapiat; ita ut ex bonorum* REGULA VIII.

 con-

contemplatione quæ indubitanter præſtantiſſima ſunt, eorum habendorum cupiditas nobis innaſcatur, & quantam poſſumus ad eadem obtinenda diligentiam adhibeamus.

Vera bona ſapere.

Hanc Regulam ultimo loco proponi oportuit, quia ex illa ſuperiorum Regularum vis omnis in exequendo effectuſque pendet. Nec enim ſatis eſt cognitam nobis eſſe bonorum malorumque naturam, quæ nos vere felices vel infelices præſtare poſſunt, ſed præterea requiritur ut præcepta quibus mens informata eſt efficacem vim ſuam exerant, ita ut ex propenſione moribuſque contractis voluntas eo prompte deferatur quo illam inclinant bene inſtitutæ Rationis conſilia. Neque vero ſibi aliquis fingat hominum affectus atque ſtudia mutari vel emendari non poſſe. Quod de palati, idem de mentis ſapore dixeris; nam utriuſque ſaporem in alium poſſe converti experientia docemur, & iis tandem rebus nos delectari quas prius inamœnas dolebamus. Rem primum ægre quis aggreditur, nec ſine multo rationis conatu; deinceps ei paulatim aſſueſimus; tum ea res quia ſæpius repetita ſenſim evadit facilior, jam in illam non obluctamur, ſed aliam quam antea cernimus, ac tandem quod prius averſabamur, ejus amorem inducit conſuetudo. Namque initorum morum ſeu habituum ea vis eſt, tantumque ſenſim commodum tantumque oblectamentum in illis ſe exhibet quæ ſumus adſueti facere, ut eiſdem abſtineamus inviti.

§. VII.

§. VIII.

EA ſunt præcipua Rationis conſilia ſeu præcepta, quæ cum ex ipſa rerum hominiſque præſertim natura & ſtatu elicita ſint, id oſtendunt quod hominem præcipue decet, & Regulas includunt ad ejus perfectionem & felicitatem maxime neceſſarias.

Quæ hìc generalia præcepta ſtatuimus noſtrum ſibi *vel nolentium*, ut ita dicam, aſſenſum vindicant, ita ut quam vera, quam ſapientia ſint, neceſſario dignoſcat exculta ſedataque Ratio, præjudicatis opinionibus tumultuantibuſque cupiditatibus libera. Hæc autem præcepta ob mentis oculos ſemper poſita nemo non intelligit quantum habitura ſint utilitatis. Sic enim illa ſingulis occaſionibus frequenter uſurpata in unam ſenſim conſtantemque Regulam vertentur humanarum propenſionum morumque.

Humana mens ultro aſſentitur his noſtris præceptis, quibus in agendo debemus obſequi.

Neque enim hæc noſtra præcepta in mera contemplatione conſiſtunt, ſed iis utendum, & ſecundum illa noſtri mores adtemperandi ſunt. Quorſum enim ſuadentem Rationem audias, quam ſequi nolis? Et vivendi regularum, quas perſpicue bonas utileſque noſti, quod erit pretium, ſi nullus ſit uſus? Ipſi certe Rationem intelligimus nobis conceſſam, ut ejus affulgentibus radiis incedamus. Quæ hìc memoramus præcepta ſi neglecta ſunt, ipſi nos improbamus damnamuſque, non ſecus ac alium quemvis ejuſdem negligentiæ reum.

Sed quoties ejiſdem præceptis paruimus, veram intus lætitiam experimur, ipſi nobis ſuffragamur aliiſque, qui ſimiliter ſe geſſere. Hi porro animi ſenſus ita nobis innati ſunt, ut aliter ſentire non poſſimus. Itaque poſitis jam antea præceptis nos ſubdere cogimur non ſecus ac Regulæ quæ tum noſtræ naturæ conſentanea eſt, tum ex qua pendet noſtra felicitas.

§. IX.

Quid ſit Obligatio genera- oim ſpectata.

QUORUM præceptorum cum natura noſtra conſenſio neceſſitatem inducit eis noſtram agendi rationem accommodandi. Neceſſitatem dico non *phyſicam*, ſed *moralem*. Moralis autem neceſſitas iis cauſis continetur quibus ita afficimur, ut in certam partem inclinemus, nec in aliam poſſimus vergere, ſi tamen auſcultamus Rationi.

Eo ſenſu quis dicitur obligatus, cum rem tenetur præſtare vel omittere; ſeu quod idem eſt, cum impellitur magnis & gravibus cauſis, quæ veluti totidem vincula voluntatem in hanc vel illam partem detorquent. Etenim ſive e plebe quemdam, ſive Juris moraliſque diſciplinæ peritos conſulas, utroſque deprehendes obligationem ponere in ea cauſa, propter quam recte intellectam probatamque, potius hanc quam illam partem amplectimur. Unde conſequens eſt vim omnem obligationis ex eo judicio pendere quo talem talemve agendi rationem probamus vel improbamus. Nam qui *probat*, fa-

fatetur quod illud *debeat* facere quod probat: qui vero *damnat*, fatetur quod illud non *debeat* facere quod damnat. *Debere* autem & *obligari* voces ſunt ejuſdem ſignificationis.

Obligationis *propriam* & *figuratam* ſignificationem, alteram alteri natura proximam, tantummodo delibavimus, quam hìc oportet elucidare. Obligatio igitur in ſenſu proprio eſt *vinculum*. Itaque homo *obligatus* eſt *vinctus*. Sed quemadmodum funibus aut catenis quis vinctus non ſe ipſe poteſt ad agendum movere, ſic fere ſe habet homo *obligatus*; cum eo tamen diſcrimine, quod illic externum & phyſicum impedimentum eſt naturales vires cohibens: hìc autem vinculum eſt morale, ſive libertas ſe Rationi ſubmittit. Ratio autem quoniam hominis ejuſque facultatum primigenia Regula eſt, ad eum finem quem ipſa ſibi propoſuit humanarum facultatum actus dirigit temperatque.

Obligatio igitur in ſua prima origine & generatim ſpectata definiri poteſt: *naturalis libertatis circumſcriptio, quatenus Rationis præſcripta ſunt totidem cauſæ, quæ hominem movent ut alio modo ſe gerat potius quam alio.*

§. X.

Sic ſe habet primigeniæ obligationis natura. Unde conſequens eſt hujus obligationis validiores aut remiſſiores vires eſſe, pro-

Obligationis vires poſſunt eſſe

prout majus minuſve momentum eſt in cauſis quibus obligatio nititur, eæque cauſæ plus minuſve voluntatem noſtram afficiunt. Liquet enim quo cauſæ illæ graviores, & efficaciores erunt, eo majorem extituram neceſſitatem, ut ſecundum illas noſtra procedat agendi ratio.

aut validiores aut remiſſiores.

§. XI.

Sententia *Clarkii* de natura & origine obligationis. Vid. *Clark.Relig. Nat. Tom. II. Cap. III. N.* 7.

Nec vero me latet non eam apud omnes Juris & moralis diſciplinæ peritos obligationis naturam & originem aſſignari quam nos aſſignavimus. Nonnulli cenſent, verum primumque cujuslibet obligationis „ fundamentum poſitum eſſe in convenien„ tia vel diſcrepantia quæ ſe prodit in qui„ buſdam actionibus; ſuam eſſe virtutis „ interiorem pulchritudinem, unde virtus „ ob ſe ipſam amanda ſit, ſed a vitio con„ tra abhorrendum eſſe, quod illi inſit in„ nata deformitas: quæ ſectandæ virtutis „ & vitii declinandi nobis incumbit obli„ gatio, priuſquam attendantur mercedes „ aut pœnæ, bona vel mala ex admiſſis „ vitiis aut uſurpatis virtutibus emergen„ tia: neque enim ex mercedibus, in„ quiunt, aut ex pœnis oritur obligatio. Sed eam obligationis definitionem non puto veram eſſe, niſi ad ſuperiorem definitionem noſtram reducatur. Qui enim ſectandam virtutem dicit ob inſitam illi pulchritudinem, vitium contra declinandum ob inſitam ei fœditatem, næ is fatetur nobis

bis *cauſam* eſſe cur aliud alii anteponamus. Hæc autem cauſa, quæcumque ſit, voluntatem inclinare non eſt efficax, niſi quantum præ ſe fert aut aſſequendum bonum aut fugiendum malum; uno verbo niſi quantum noſtro gaudio, noſtræ ſecuritati, noſtræque felicitati poteſt conducere. Quam rem ſic ſe habere vult & hominis & humanæ voluntatis natura. Etenim in univerſum voluntas bonum ſibi propoſitum habet, atque ideo non alia cauſa quam ſpes aſſequendi boni in hanc vel illam partem voluntatem movet flectitque. Igitur omnem hominibus agendi cauſam aufert, qui ab eis quodvis emolumentum aufert, quo ſublato neceſſe eſt ut homines prorſus fiant indifferentes deſideſque. Præterea quam tibi animo effinges humanarum actionum convenientiam vel diſcrepantiam, pulchritudinem vel deformitatem, aptum inter ſe vel interturbatum ordinem, niſi quæ hic enumeramus omnia, ad hominem ipſum ejuſque deſtinatam ſortem, perfectionem, ac uno verbo ad humanæ naturæ commodum veramque felicitatem referantur?

§. XII.

ALIAM a Clarkio ſententiam iniverunt plerique Jureconſulti. (*a*) „ Ii obligationem „ pro-

Barbeyracii in hoc idem argumentum ſententia.

(*a*) Vid. Judicium Scriptor. anonym. &c. §. XV. Cujus opuſculi auctor eſt *Leibnitzius*, & in illud adnotationes ſuas edidit Barbeyracius, indiditque gallicæ ſuæ *Officiorum hominis & civis* interpretationi quinto excuſæ.

„ proprie dictam ponunt in voluntate Na-
„ turæ ſupremæ cui nos ſubditos agnoſci-
„ mus. Nec aliud libertatis frænum eſſe
„ contendunt, quam hujus Naturæ volun-
„ tatem & juſſa, propter quæ tenemur no-
„ ſtras præſcripto modo actiones ordinare.
„ Neminem addunt in ſua agendi ratione
„ ad aliquid neceſſario adſtringi, quia re-
„ rum inter ſe videt apitudinem & conve-
„ nientiam, licet convenientiæ illi ratio
„ ſuffragetur. Quoniam enim, inquiunt,
„ inter noſtram Rationem & noſmetipſos
„ nihil intereſt, nemo, ſi proprie loqua-
„ mur, a ſe ipſo poteſt obligari. Unde
„ colligunt præcepta Rationis nullam obli-
„ gationem inducere, ſi in ſe ipſis ſpecten-
„ ctur, & ſeparatim a Naturæ ſupremæ
„ voluntate, a qua ſuam auctoritatem mu-
„ tuantur.

Sed rem nobis non videntur expedire, qui ea ponunt obligationis fundamenta, eamque ſic definiunt. Hæc enim definitio a remotiſſimis obligationis fontibus, ejuſque veris principiis deducta non eſt. Equidem qui domino ſubditus eſt, ejus tenetur voluntatem exequi; ſed illa voluntas exitum ſuum non ſortietur, niſi eidem Ratio aſſentiatur. Quamobrem non ſolum neceſſe eſt ut Domini voluntas in ſe ipſa nihil includat ab hominis natura alienum; ſed prætetea requiritur ut hæc voluntas ad genuinum hominis ſtatum ejuſque ultimum finem ita ſit accommodata, ut voluntatem hanc neceſſario dignoſcamus noſtrarum a-
ctio-

ctionum neceſſario regulam eſſe, quam reſpuere foret nobis prorſus exitioſum, ſed cui obſequentes propoſitam metam attingemus. Quod niſi res ſic intelligatur, nec etiam intelligi poteſt hominem ſe domino volentem ſubjicere, ejuſque mandatis libentem obſequi. Equidem ſi Jureconſultis uſitatum loquendi modum attendamus, *Dominus jubens* conſtituit obligationem, qualem vulgo ſolemus concipere. Sed niſi rem altius repetas, ejuſque Domini auctoritatem ſtabilieris in ipſo Rationis aſſenſu, ex illa Domini auctoritate nunquam aliud elicies quam externam *coactionem* ſane diverſam a vera obligatione quæ propria vi voluntatem afficit, eamdemque flectit interiore ſenſu perſuaſam; ita ut homo citra vim proprio motu libenſque obtemperet.

§. XIII.

Duo obligationis genera. Obligatio *interior*: obligatio *exterior*.

Variæ illæ circa naturam & originem obligationis opiniones prima fronte videntur inter ſe admodum diſſimiles; ſed ex iis ipſis ea colligo, quæ jam ſuperius adnotavi, eam quanta videtur non tantam diſcrepantiam eſſe. Opiniones enim illas ſi penitius ſcruteris, remque ab ovo ordiare, illas profecto ſententias intelliges, ſi bene concipiantur, non modo non diſſidere, ſed alias aliis accedere, atque etiam conjungendas eſſe, ut inde *ſyſtema* exſurgat recte cohærens cum ſuis omnibus præcipuis partibus ad naturam ſtatumque hominis perti-

§. VI.

Regula VII. Aliquando ſuſcipienda res, vel quia poſſibilis vel multo etiam magis, quia veriſimilis.

VII. Neutiquam *opus eſt ut quæ magni momenti ſunt vel bona vel mala certiſſima ſint, ſed ſatis eſt, ut quæ bona vel mala ſunt vel poſſibilia ſint, vel, quod magis eſt, veriſimilia, ut vir ſapiens levia quædam bona abneget, aut levia mala quædam perferat, quo multo majora bona conſequatur, vel mala declinet multo graviora.*

Quæ Regula ex præcedentibus ortum habet, eaque quam vera, quam neceſſaria ſit, omnium agendi ratione comprobatur. Enimvero utquid homines tot ſe negotiis implicant, tot labores aggrediuntur, tot moleſtias perferunt, tot caſus adeunt? Sane quoniam propoſita ſibi habent quædam commoda, quæ chariore pretio non putant empta fore, etiamſi commoda hæc nec jam præſentia nec æque certa ſint, ac certa ſunt incommoda quæ futuri commodi cauſa ſuſtinentur.

Rationi certe conſentaneum omnino eſt, ut deficientibus quæ certa ſint, probabilia ſequamur tum in judicando, tum in agendo; neque enim tunc aliud lumen vel alium ducem habemus. Igitur in multis rerum evidentiam ſupplere debet probabilitas, niſi malis incertus errare quam ducem ſequi; vel quia ſol non lucet, lampadem putes extinguendam. Atqui vel debilis facis ope melius quis metam aſſequatur, quam ſi in tenebris perſeveret. Hæc

eſt

eſt humanæ vitæ recepta conſuetudo ut probabilia plerumque nos ad agendum impellant, neque enim ſemper omnimoda nobis evidentia poteſt affulgere. SENECA Philoſophus noſtrum illud præceptum pulchre confirmat & enucleat. „ Huic reſpondebimus, numquam expectare nos „ certiſſimam rerum comprehenſionem: „ quoniam in arduo eſt veri exploratio: „ ſed ea ire, qua ducit veriſimilitudo. „ OMNE HAC VIA PROCEDIT OFFICIUM. Sic ſerimus, ſic navigamus, ſic „ militamus, ſic uxores ducimus, ſic liberos tollimus, ignari quam omnium „ horum incertus ſit eventus. Ad ea accedimus, de quibus bene ſperandum credimus. Quis enim polliceatur ſerenti proventum, naviganti portum, militanti „ victoriam, marito pudicam uxorem, „ patri pios liberos? Sequimur qua RATIO, non qua veritas trahit. EXPECTA, „ UT NISI BENE CESSURA NON FACIAS, ET NISI COMPERTA VERITATE NIHIL MOVERIS: RELICTO OMNI „ ACTU VITA CONSISTIT. Dum veriſimilia me ad hoc aut illud impellant, „ non verebor beneficium dare ei quem „ veriſimile erit gratum eſſe. *De Benefic.* „ *Lib. IV. Cap.* 33.

§. VII.

VIII. NIHIL *omittendum eſt quo vera bona mens noſtra ſapiat; ita ut ex bonorum* REGULA VIII.

 con-

contemplatione quæ indubitanter præſtantiſſima ſunt, eorum habendorum cupiditas nobis innaſcatur, & quantam poſſumus ad eadem obtinenda diligentiam adhibeamus.

Vera bona ſapere.

Hanc Regulam ultimo loco proponi oportuit, quia ex illa ſuperiorum Regularum vis omnis in exequendo effectuſque pendet. Nec enim ſatis eſt cognitam nobis eſſe bonorum malorum quenaturam, quæ nos vere felices vel infelices præſtare poſſunt, ſed præterea requiritur ut præcepta quibus mens informata eſt efficacem vim ſuam exerant, ita ut ex propenſione moribuſque contractis voluntas eo prompte deferatur quo illam inclinant bene inſtitutæ Rationis conſilia. Neque vero ſibi aliquis fingat hominum affectus atque ſtudia mutari vel emendari non poſſe. Quod de palati, idem de mentis ſapore dixeris; nam utriuſque ſaporem in alium poſſe converti experientia docemur, & iis tandem rebus nos delectari quas prius inamœnas dolebamus. Rem primum ægre quis aggreditur, nec ſine multo rationis conatu; deinceps ei paulatim aſſuefimus; tum ea res quia ſæpius repetita ſenſim evadit facilior, jam in illam non obluctamur, ſed aliam quam antea cernimus, ac tandem quod prius averſabamur, ejus amorem inducit conſuetudo. Namque initorum morum ſeu habituum ea vis eſt, tantumque ſenſim commodum tantumque oblectamentum in illis ſe exhibet quæ ſumus adſueti facere, ut eiſdem abſtineamus inviti.

§. VII.

§. VIII.

Ea ſunt præcipua Rationis conſilia ſeu præcepta, quæ cum ex ipſa rerum hominiſque præſertim natura & ſtatu elicita ſint, id oſtendunt quod hominem præcipue decet, & Regulas includunt ad ejus perfectionem & felicitatem maxime neceſſarias.

Humana mens ultro aſſentitur his noſtris præceptis, quibus in agendo debemus obſequi.

Quæ hìc generalia præcepta ſtatuimus noſtrum ſibi vel nolentium, ut ita dicam, aſſenſum vindicant, ita ut quam vera, quam ſapientia ſint, neceſſario dignoſcat excuſſa ſedataque Ratio, præjudicatis opinionibus tumultuantibuſque cupiditatibus libera. Hæc autem præcepta ob mentis oculos ſemper poſita nemo non intelligit quantum habitura ſint utilitatis. Sic enim illa ſingulis occaſionibus frequenter uſurpata in unam ſenſim conſtantemque Regulam vertentur humanarum propenſionum morumque.

Neque enim hæc noſtra præcepta in mera contemplatione conſiſtunt, ſed iis utendum, & ſecundum illa noſtri mores adtemperandi ſunt. Quorſum enim ſuadentem Rationem audias, quam ſequi nolis? Et vivendi regularum, quas perſpicue bonas utileſque noſti, quod erit pretium, ſi nullus ſit uſus? Ipſi certe Rationem intelligimus nobis conceſſam, ut ejus affulgentibus radiis incedamus. Quæ hìc memoramus præcepta ſi neglecta ſunt, ipſi nos improbamus damnamuſque, non ſecus ac alium quemvis ejuſdem negligentiæ reum.

Sed quoties ejiſdem præceptis paruimus, veram intus lætitiam experimur, ipſi nobis ſuffragamur aliiſque, qui ſimiliter ſe geſſere. Hi porro animi ſenſus ita nobis innati ſunt, ut aliter ſentire non poſſimus. Itaque poſitis jam antea præceptis nos ſubdere cogimur non ſecus ac Regulæ quæ tum noſtræ naturæ conſentanea eſt, tum ex qua pendet noſtra felicitas.

§. IX.

Quid ſit Obligatio generaoim ſpectata.

Quorum præceptorum cum natura noſtra conſenſio neceſſitatem inducit eis noſtram agendi rationem accommodandi. Neceſſitatem dico non *phyſicam*, ſed *moralem*. Moralis autem neceſſitas iis cauſis continetur quibus ita afficimur, ut in certam partem inclinemus, nec in aliam poſſimus vergere, ſi tamen auſcultamus Rationi.

Eo ſenſu quis dicitur obligatus, cum rem tenetur præſtare vel omittere; ſeu quod idem eſt, cum impellitur magnis & gravibus cauſis, quæ veluti totidem vincula voluntatem in hanc vel illam partem detorquent. Etenim ſive e plebe quemdam, ſive Juris moraliſque diſciplinæ peritos conſulas, utroſque deprehendes obligationem ponere in ea cauſa, propter quam recte intellectam probatamque, potius hanc quam illam partem amplectimur. Unde conſequens eſt vim omnem obligationis ex eo judicio pendere quo talem talemve agendi rationem probamus vel improbamus. Nam qui *probat*,

fa-

fatetur quod illud *debeat* facere quod probat: qui vero *damnat*, fatetur quod illud non *debeat* facere quod damnat. *Debere* autem & *obligari* voces ſunt ejuſdem ſignificationis.

Obligationis *propriam* & *figuratam* ſignificationem, alteram alteri natura proximam, tantummodo delibavimus, quam hìc oportet elucidare. Obligatio igitur in ſenſu proprio eſt *vinculum*. Itaque homo *obligatus* eſt *vinctus*. Sed quemadmodum funibus aut catenis quis vinctus non ſe ipſe poteſt ad agendum movere, ſic fere ſe habet homo *obligatus*; cum eo tamen diſcrimine, quod illic externum & phyſicum impedimentum eſt naturales vires cohibens: hìc autem vinculum eſt morale, ſive libertas ſe Rationi ſubmittit. Ratio autem quoniam hominis ejuſque facultatum primigenia Regula eſt, ad eum finem quem ipſa ſibi propoſuit humanarum facultatum actus dirigit temperatque.

Obligatio igitur in ſua prima origine & generatim ſpectata definiri poteſt: *naturalis libertatis circumſcriptio, quatenus Rationis præſcripta ſunt totidem cauſæ, quæ hominem movent ut alio modo ſe gerat potius quam alio.*

§. X.

Sic ſe habet primigeniæ obligationis natura. Unde conſequens eſt hujus obligationis validiores aut remiſſiores vires eſſe, pro-

Obligationis vires poſſunt eſſe

prout majus minuſve momentum eſt in cauſis quibus obligatio nititur, eæque cauſæ plus minuſve voluntatem noſtram afficiunt. Liquet enim quo cauſæ illæ graviores, & efficaciores erunt, eo majorem extituram neceſſitatem, ut ſecundum illas noſtra procedat agendi ratio.

aut validiores aut remiſſiores.

§. XI.

Sententia *Clarkii* de natura & origine obligationis. Vid. *Clark. Relig. Nat. Tom. II. Cap. III. N. 7.*

Nec vero me latet non eam apud omnes Juris & moralis diſciplinæ peritos obligationis naturam & originem aſſignari quam nos aſſignavimus. Nonnulli cenſent, „verum primumque cujuslibet obligationis „fundamentum poſitum eſſe in convenien„tia vel diſcrepantia quæ ſe prodit in qui„buſdam actionibus; ſuam eſſe virtutis „interiorem pulchritudinem, unde virtus „ob ſe ipſam amanda ſit, ſed a vitio con„tra abhorrendum eſſe, quod illi inſit in„nata deformitas: quæ ſectandæ virtutis „& vitii declinandi nobis incumbit obli„gatio, priuſquam attendantur mercedes „aut pœnæ, bona vel mala ex admiſſis „vitiis aut uſurpatis virtutibus emergen„tia: neque enim ex mercedibus, in„quiunt, aut ex pœnis oritur obligatio. Sed eam obligationis definitionem non puto veram eſſe, niſi ad ſuperiorem definitionem noſtram reducatur. Qui enim ſectandam virtutem dicit ob inſitam illi pulchritudinem, vitium contra declinandum ob inſitam ei fœditatem, næ is fatetur nobis

bis *cauſam* eſſe cur aliud alii anteponamus. Hæc autem cauſa, quæcumque ſit, voluntatem inclinare non eſt efficax, niſi quantum præ ſe fert aut aſſequendum bonum aut fugiendum malum; uno verbo niſi quantum noſtro gaudio, noſtræ ſecuritati, noſtræque felicitati poteſt conducere. Quam rem ſic ſe habere vult & hominis & humanæ voluntatis natura. Etenim in univerſum voluntas bonum ſibi propoſitum habet, atque ideo non alia cauſa quam ſpes aſſequendi boni in hanc vel illam partem voluntatem movet flectitque. Igitur omnem hominibus agendi cauſam auſert, qui ab eis quodvis emolumentum aufert, quo ſublato neceſſe eſt ut homines prorſus fiant indifferentes deſideſque. Præterea quam tibi animo effinges humanarum actionum convenientiam vel diſcrepantiam, pulchritudinem vel deformitatem, aptum inter ſe vel interturbatum ordinem, niſi quæ hic enumeramus omnia, ad hominem ipſum ejuſque deſtinatam ſortem, perfectionem, ac uno verbo ad humanæ naturæ commodum veramque felicitatem referantur?

§. XII.

ALIAM a Clarkio ſententiam iniverunt plerique Jureconſulti. (*a*) „ Ii obligationem „ pro-

Barbeyracii in hoc idem argumentum ſententia.

(*a*) Vid. Judicium Scriptor. anonym. &c. §. XV. Cujus opuſculi auctor eſt *Leibnitzius*, & in illud adnotationes ſuas edidit Barbeyracius, indiditque gallicæ ſuæ *Officiorum hominis & civis* interpretationi quinto excuſæ.

„ proprie dictam ponunt in voluntate Na-
„ turæ ſupremæ cui nos ſubditos agnoſci-
„ mus. Nec aliud libertatis frænum eſſe
„ contendunt, quam hujus Naturæ volun-
„ tatem & juſſa, propter quæ tenemur no-
„ ſtras præſcripto modo actiones ordinare.
„ Neminem addunt in ſua agendi ratione
„ ad aliquid neceſſario adſtringi, quia re-
„ rum inter ſe videt apitudinem & conve-
„ nientiam, licet convenientiæ illi ratio
„ ſuffragetur. Quoniam enim, inquiunt,
„ inter noſtram Rationem & noſmetipſos
„ nihil intereſt, nemo, ſi proprie loqua-
„ mur, a ſe ipſo poteſt obligari. Unde
„ colligunt præcepta Rationis nullam obli-
„ gationem inducere, ſi in ſe ipſis ſpecten-
„ ctur, & ſeparatim a Naturæ ſupremæ
„ voluntate, a qua ſuam auctoritatem mu-
„ tuantur.

Sed rem nobis non videntur expedire, qui ea ponunt obligationis fundamenta, eamque ſic definiunt. Hæc enim definitio a remotiſſimis obligationis fontibus, ejuſque veris principiis deducta non eſt. Equidem qui domino ſubditus eſt, ejus tenetur voluntatem exequi; ſed illa voluntas exitum ſuum non ſortietur, niſi eidem Ratio aſſentiatur. Quamobrem non ſolum neceſſe eſt ut Domini voluntas in ſe ipſa nihil includat ab hominis natura alienum; ſed præterea requiritur ut hæc voluntas ad genuinum hominis ſtatum ejuſque ultimum finem ita ſit accommodata, ut voluntatem hanc neceſſario dignoſcamus noſtrarum a-

ctio-

ctionum neceſſario regulam eſſe, quam reſpuere foret nobis prorſus exitioſum, ſed cui obſequentes propoſitam metam attingemus. Quod niſi res ſic intelligatur, nec etiam intelligi poteſt hominem ſe domino volentem ſubjicere, ejuſque mandatis libentem obſequi. Equidem ſi Jureconſultis uſitatum loquendi modum attendamus, *Dominus jubens* conſtituit obligationem, qualem vulgo ſolemus concipere. Sed niſi rem altius repetas, ejuſque Domini auctoritatem ſtabilieris in ipſo Rationis aſſenſu, ex illa Domini auctoritate nunquam aliud elicies quam externam *coactionem* ſane diverſam a vera obligatione quæ propria vi voluntatem afficit, eamdemque flectit interiore ſenſu perſuaſam; ita ut homo citra vim proprio motu libenſque obtemperet.

§. XIII.

Duo obligationis genera. Obligatio *interior*: obligatio *exterior*.

VARIÆ illæ circa naturam & originem obligationis opiniones prima fronte videntur inter ſe admodum diſſimiles; ſed ex iis ipſis ea colligo, quæ jam ſuperius adnotavi, eam quanta videtur non tantam diſcrepantiam eſſe. Opiniones enim illas ſi penitius ſceuteris, remque ab ovo ordiare, illas profecto ſententias intelliges, ſi bene concipiantur, non modo non diſſidere, ſed alias aliis accedere, atque etiam conjungendas eſſe, ut inde *ſyſtema* exſurgat recte cohærens cum ſuis omnibus præcipuis partibus ad naturam ſtatumque hominis perti-

tinentibus; id quod ſubinde clarius innoteſcet. (a) Sed expedit ut jam nunc diſtinguatur duplex obligationis genus: alia enim eſt *interior*, alia *exterior*. Obligationem interiorem illam dico *quam unice gignit noſtra Ratio, prout Ratio ſpectatur tanquam primigenia noſtri agendi modi Regula, & actionem quamlibet ſuſcipiendam vel declinandam ſuadet, prout actio illa in ſe vel bona vel mala eſt*. Obligatio vero exterior illa eſt *quæ procedit ab auctoritate alicujus naturæ, cui nos habemus ſubditos, & a qua quædam præcipiuntur vel prohibentur ſub alicujus pœnæ comminatione*.

(a) Vid. *inf. Part. II. Cap. VI.*

Quibus adde, tantum abeſſe ut hæ duæ ſibi invicem adverſentur obligationes, ut contra mire conſentiant. Quemadmodum enim ex exteriori obligatione novum robur interiori obligationi accedere poteſt, ſic etiam tota obligationis exterioris vis ultimo pendet ex interiori obligatione: atque ex illa utriuſque obligationis acceſſione conſenſuque maximus exſurgit moralis neceſſitatis gradus, efficiturque validiſſimum vinculum ſeu potentiſſima cauſa quæ homines valeat afficere atque impellere, ut certas agendi regulas conſtanter ſectentur a quibus nunquam diſcedant: ac uno verbo hoc illud eſt abſolutiſſimæ obligationis principium.

CA-

CAPUT VII.

De JURE *prout eſt* FACULTAS *& de adjuncta huic Juri* OBLIGATIONE.

§. I.

HACTENUS conſideratum eſt nobis jus, prout eſt primigenia noſtrarum actionum regula. Sed præter generalem illam Juris definitionem quam jam enucleavimus, Juris vocabulum ſingulares etiam plures ſignificationes obtinet hìc adnotandas.

Juris vocabulum diverſas ſignificationes obtinet, quæ ſingulæ fluunt ex illius generali definitione.

Sed præcipuum illud eſt, ut menti ſemper infixam habeamus generalem illam quam aſſignavimus Juris definitionem. Etenim ex hac definitione tanquam e ſuo fonte derivantur quæcumque trademus tum in hoc capite, tum in ſequentibus. Omnis autem noſtra ratiocinatio, ſi in ſe vera ſit, & cum dicta definitione neceſſario cohærens, novum hinc argumentum elicietur quam vera ſit noſtra definitio. Sin res, ſpe noſtra deluſa, ſecus ſe habeat, indagationis noſtræ ſaltem hæc erit utilitas, ut error in ipſa ſua origine deprehendatur, & ſic facilius emendetur, qui ſanæ methodi fructus eſt. Generalem aliquam ſententiam ex eo patet veram eſſe, ſi ad illam omnes ſingulares ſententiæ referantur, ad quam velut rami ad truncum reduci poſſunt.

§. II.

§. II.

Quid ſit Jus pro facultate acceptum.

Ac primo quidem Jus ſæpe accipitur pro *qualitate* homini competente, pro *poteſtate* ſeu *agendi facultate*. Eo ſenſu dicitur cuilibet homini *Jus* eſſe ut ſuæ ſaluti conſulat; patris *Jus* eſſe liberorum educandorum; Principi *Jus* eſſe congregandi exercitus in defenſionem imperii.

Jus ſic acceptum definiri debet *poteſtas homini competens, ut juxta quemdam modum libertate ſua ſuiſque naturalibus viribus utatur, tum quantum ad ſe attinet, tum quantum ad alios, modo huic ſuæ libertatis ſuarumque virium uſui Ratio ſuffragetur.*

Quoties itaque dicimus patri jus eſſe liberorum educandorum, hoc nihil aliud ſibi vult, niſi quod illud ſit Rationis præſcriptum, ut pater libertatem ſuam vireſque ſuas naturales convenienter adhibeat in ſalutem ſuorum liberorum, eorumque mentem & ingenium informandum. Sic etiam Ratio Principi ſuffragatur, ut omnia præſtet quæcumque Reipublicæ ſaluti & utilitati conducunt, & ſingulariter ut milites conſcribat, & exercitus paret, quorum ope hoſtibus obſiſtat; quapropter dicimus horum omnium faciendorum Principi jus eſſe. Sed contra negamus illi jus eſſe aratores citra neceſſitatem ex agris, opifices ab opere ſuo & familia ſua abſtrahendi; negamus ſimiliter patri jus eſſe liberos ſuos exponendi vel occidendi, quia ejuſmodi res plane Rationi contrariæ ſunt.

§. III.

§. III.

Igitur non debet *mera potentia* pro Jure accipi. Mera namque potentia eſt qualitas *phyſica*, vel facultas agendi ſecundum omnem virium naturalium & libertatis extenſionem, ſed minor eſt *juris* extenſio. *Jus* enim convenientiam includit cum regula, regula vero potentiam phyſicam ita temperat, ut hominis actiones ad quemdam propoſitum finem ordinet, unde etiam Jus dicitur qualitas *moralis*. Nonnulli quidem *potentiam* non ſecus ac *Jus* moralibus qualitatibus annumerant, quod non ita noſtram diſtinctionem impugnat. Qui enim *potentiam* & *jus* inter qualitates morales recenſent, quod nos per *jus*, idem illi fere per *potentiam* intelligunt, quæ confuſa loquendi ratio ipſo uſu videtur comprobata: nam v. g. eodem ſenſu dicimus *patriam poteſtatem* & *paternum jus*. Quidquid illud ſit de vocibus non eſt certandum. Præcipuum illud eſt ut hoc loco *moralia* ſecernantur ab iis quæ phyſica ſunt; quemadmodum autem ipſe Puffendorfius indigitat, *phyſica* per *potentiam*, moralia per *jus* melius denotantur. (1) Uno verbo

Non debet *mera potentia* pro *Jure* accipi.

(1) Quod ſi ſic intelligatur, *Juris* & *Potentiæ* eadem erit fere ſignificatio, cum eo tamen diſcrimine, quod qui dicit *potentiam*, is diſertius quidem indicat præſentem ſive in res, ſive in perſonas alicujus facultatis poſſeſſionem, ſed obſcurius indicat qua ratione facultas hæc comparata ſit: ſed qui dicit *jus*, is vere & diſerte aſſerit facul-

verbo tunc noſtræ facultates vertuntur in *jus*, quoties illarum uſus cum ratione conſentit, quæ humanarum actionum primigenia Regula eſt: Quidquid vero duce Ratione homo poteſt facere, idipſum jure facit, quia non alio magis compendioſo & tutiori modo quam duce Ratione propoſitum finem homo poteſt aſſequi. In quibus noſtris opinionibus nihil ſane pro arbitrio fictum eſt, quippe quæ omnes ex ipſa rerum natura deſumptæ ſunt, atque illæ profecto intelligentur ex principiis jam antea poſitis fluere, ſi tamen cum eis conſocientur.

§. IV.

Quo generali fundamento jura nitantur hominis.

Si quis deinde quærat cur Ratio potius hunc quam illum noſtrarum facultatum noſtræque libertatis uſum comprobet, in promptu reſponſum eſt: Ideo enim diverſa ſunt Rationis judicia, quia diverſa eſt rerum natura diverſique illarum effectus. Quemlibet noſtrarum facultatum uſum ex ſe ipſo noſtræ tum perfectioni tum felicitati conducentem Ratio comprobat, quæ idcirco alii cuivis earumdem facultatum uſui adverſatur in contrarium finem vergenti.

§. V.

facultatem hanc legitima ratione alicui partam eſſe, quam ideo juſta de cauſa ſibi vindicat. *Puffend. de Jure Nat. & Gent. Lib. I. Cap. I.* §. 20.

§. V.

Jus parit obligationem.

ITAQUE Jus quale nos expoſuimus, & prout vim ſuam in alios exerit, ſubjectam hebet *obligationem.*

Jam de obligatione generatim ſpectata in ſuperiore capite diſputatum eſt; ſed quo melius, de qua hic agitur, obligatio intelligatur, advertendum eſt, quoties Ratio cuipiam homini ſuffragatur, ut hoc vel illo modo ſuas vires ſuamque libertatem adhibeat, ſeu quod idem eſt, quoties Ratio jus quoddam agnoſcit in homine, natura conſequens eſſe, quo partum huic homini jus aſſeratur, ut hæc eadem Ratio cæteros homines prohibeat, ne ſuis viribus ſuaque libertate utantur ad alienum jus impugnandum, quod violare non ſolum nefas putare debent, ſed præterea in illo jure uſurpando poſſidentem tenentur adjuvare. Ex quibus ſic intellectis ſponte fluit definitio obligationis, quæ nihil aliud eſt quam *coarctatum ſuadente Ratione naturalis libertatis exercitium, prout Ratio non patitur ut iis obſiſtamus qui ſuo jure utuntur, ſed contra quemvis jubet eis favere atque opitulari qui legitimas res aggrediuntur, vetatque ne illis obſtaculum impedimentumve afferatur.*

§. VI.

Jus, & obligatio mutuo ad ſe referuntur.

ITAQUE Jus & obligatio duæ ſunt voces quæ ad ſe mutuo referuntur, quarum alte-

altera neceſſario includit alteram, nec enim *Jus* concipi poteſt, niſi & huic ſubjecta obbligatio intelligatur. Quodnam v. g. verum jus patri competet ſuos liberos honeſtis rationibus ad ſapientiam virtutemque inſtituendi, niſi liberi paterno imperio non ſolum ſe ſubmittere teneantur, verum etiam facili promptoque obſequio ſuo, quod in illorum utilitatem ſibi pater propoſuit, ad exitum pro ſua parte deducant? Quod ſi aliter ſe haberet, humanarum actionum regula jam Ratio non eſſet, ſed ipſa ſecum pugnaret, & quæcumque jura homini concedit nullam haberent utilitatem, nullumque ſortirentur exitum, quia Ratio quod altera manu largiretur, altera ſubriperet.

§. VII.

Quo tempore jus & obligatio in hominem cadant.

Juris, prout eſt *facultas*, eique *Juri* ſubjectæ *obligationis* veram naturam aſſignavimus. Porro in univerſum affirmari poteſt quod in hominem jus & obligatio cadant, ſtatim atque vita ſenſuque præditus eſt. Statuendum tamen hic aliquod diſcrimen eſt inter jus & obligationem, quantum ad tempus ſpectat quo jus & obligatio in homine vim ſuam incipiunt exerere. Homini incumbens obligatio tunc locum ſolummodo habet, cum eam ætatem homo aſſequutus eſt qua pollet Ratione & judicio. Prius enim eſt noſſe obligationem quam ea perfungi, & quod quis facit, id debet intelligere, atque cum quadam regula comparare,

rare. Jura vero quæ alicujus etiam neſcii utilitatem promovent; illa quidem incipiunt & eſſe & parere obligationem, quo ipſo tempore quis incipit homo eſſe, tenenturque cœteri homines ejuſmodi jura non violare. Exempli cauſa, infantibus in utero materno degentibus idem partum eſt jus ac viris, ne quis eos vel male habeat, vel eis injuriam inferat, id quod jure Romano ſumma æquitate conſtitutum eſt: *Qui in utero materno eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodo ipſius partus quæritur.* (1) Alius autem Juriſperitus ſequentem Regulam ſtatuit: *Itaque pati quis injuriam, etiamſi non ſentiat, poteſt: facere nemo, niſi qui ſcit ſe injuriam facere, etiamſi neſciat cui faciat.* (2) Si ergo de infante quæratur vel nato vel naſcituro, dici proprie non poteſt quod jam nunc in alios homines quadam obligatione teneatur. Tunc tantum obligationi ſubjici incipit cum illam ætatem adeptus eſt, qua valet res dignoſcere & dijudicare.

(1) *Leg. 7. ff. De ſtatu homin.*

(2) *Leg. 3. §. 2. ff. de injuriis, Lib. 47. tit. 10.*

§. VIII.

Jura & obligationes multiplici genere continentur.

Jura & obligationes in varias obligationes & diverſa jura diſtingui poſſunt; præcipua ſatis erit hìc delibaſſe. (a)

Ac primo ſunt *Jura naturalia* & *acquiſita*. Naturalia Jura dicimus illa, *quæ homini ab origine & neceſſario competunt, quæ illius naturæ inhærent, quibus propter hoc ipſum fruitur quod homo eſt, licet ea ſibi ipſe nullo*

(a) Vid. *Pufend. De jur. Nat. & Gent. l. 1.*

Cap. 1. §. 19. Et Grot. De Jur. Bell. & Pac. lib. 1. c. 1. §. 4. 5. 6. 7. cum Notis Barbeyracii.

nullo ſuo facto comparaverit. Contra jura acquiſita ſunt illa, *quibus homo natura non fruitur, ſed quæ ipſe ſibi proprio ſuo facto adeptus eſt.* Sic homini jus hoc innatum eſt ut ſuæ ſaluti conſulat: at vero imperium, ſeu jus conſociatis hominibus imperandi, eſt jus acquiſitum.

2. Alia ſunt *jura perfecta* & *ſtricta*, alia ſunt *jura imperfecta & non ſtricta.* Jura perfecta ſunt illa *quorum præſtatio ſtricte poteſt exigi, ita ut pro neceſſitate vis etiam adhibeatur ut præſtentur, vel eorum maneat uſus ſalvus adverſus eos quicumque in illis utendis nobis obſiſtere, vel impedimentum afferre tentarent.* Sic merito vis in illum adhibetur, quicumque noſtram vitam, vel fortunam, vel libertatem impetit. Sed *quoties per Rationem non licet vim adhibere ut alicujus conceſſi per eamdem Rationem juris poſſeſſio vindicetur*, tunc jus illud dicitur *imperfectum & non ſtrictum.* Quamvis igitur quibus habendorum alimentorum facultas non ſuppetit, Ratio ſit auctor ut illa ab aliis poſtulent, attamen non illis permiſſum eſt alimenta per vim a nolentibus extorquere. Nec dicto opus eſt in ea quæ diſceptatur materia juri omnino parem eſſe obligationem, quæ vim habet *majorem minoremve*, & *eſt perfecta* vel *imperfecta*, prout jus ipſum vel eſt *perfectum*, vel *imperfectum*.

3. Tertia eſt notatu digna diſtinctio; namque ſunt *jura quæ citra culpam poſſunt remitti*, alia ſunt *quæ nefas eſt remittere*. Creditor v. g. debitori poteſt, ſi lubet, vel omnino

vel

vel partim debitum remittere. Sed patri non licet competens ſibi jus in liberos ita liberis condonare, ut patriæ poteſtatis omnino ſint immunes. Cujus differentiæ ratio eſt, quod quædam jura ſunt cum noſtris officiis natura cohærentia, ideoque homini conceſſa ut illorum ope officia ſua expleat. Quæ jura qui abnegaret, is etiam officium ſuum abnegaret, quod nunquam licitum eſt. Sed quod ad jura attinet ab officiis noſtris ſejuncta licitum eſt ea remittere, ſi modo prudenter remittantur. Superaddatur exemplum aliud. Nemini licet ita plane libertatem ſuam exuere, ut omnimodo ſe alieno imperio permittat; ſic enim in manifeſtam peccandi neceſſitatem incurreret, ſi peccatum ab eo præciperetur cui penitus ſe ſubjecit. Verum jure poſſumus quamdam noſtræ libertatis diminutionem pati, ſi per eam diminutionem officia noſtra rectius valemus exequi, certamque nobis & convenientem utilitatem comparamus. Atque ſic intelligenda eſt trita illa ſententia, *cuivis licere, ut jus ſuum remittat*.

4. Denique ſi res ſpectentur circa quas jus verſatur, in quatuor præcipua genera jus dividi poteſt. Primum eſt jus nobis in nos ipſos noſtraſque actiones competens, quod jus vocatur LIBERTAS. Alterum eſt jus in res quæ ad nos & proprie pertinent, & dicitur PROPRIETAS vel DOMINIUM. Tertium eſt jus in perſonam & res cæterorum hominum, quod nomine venit IMPERII vel AUCTORITATIS. Quartum

tandem jus eſt in res alienas, quod multiplex poteſt eſſe. Quæ diverſa jura impræſentiarum ſatis eſt attigiſſe, quorum naturam effectuſque tunc locus eſt explicandi, cum quælibet ſingulatim expenduntur.

Jus, prout *facultas* eſt, eo ſenſu intelligi debet quo intelligendum expoſuimus. Sed *juris* alia eſt peculiaris ſignificatio ſecundum quam pro *Lege* accipitur; ut ſi quis dicat, moralis & politicæ diſciplinæ in jure naturali poſita eſſe fundamenta; fallere fidem jure naturali vetitum, eodemque præſcriptum ut damna reſarciantur, &c. In quibus omnibus *Jus* pro *Lege* accipitur. Hujuſmodi autem *Jus*, quoniam ad hominem ſingulari ratione pertinet, operæ pretium eſt accuratius enucleare, atque hæc ſubſequentibus capitibus ſubſtrata erit materia.

CAPUT VIII.

De Lege generatim ſpectata. (*a*)

(a) Vid. *Pufend. De Jur. Nat. & Gent. l.* 1. *cap.* 6.

§. I.

HACTENUS humanarum actionum regulam inquirentes ex ipſo homine non ſumus egreſſi, ſed ejus naturam, quid in ſe, qualiſque ſit, indagavimus. Ex qua indagatione compertum eſt hominem intra ſe ipſum atque in ſua ipſius Ratione regulam invenire quam ſequatur; Rationis enim conſilia quoniam oſtendunt homini viam expe-

expeditiſſimam tutiſſimamque aſſequendæ perfectionis atque felicitatis, hinc naſcitur obligationis principium ſeu potentiſſima cauſa propter quam homo adſtringitur ſuas actiones ad primigeniam illam regulam accommodare. Sed quo penitus homo dignoſcatur, haud ſatis eſt eum in ſe uno generatim conſideraſſe: verum inſuper pro dicta ſuperius methodo attendendi ſunt ejus varii ſtatus ſecundum quos ad diverſas res diverſimode ſe homo ipſe habet, unde etiam variis modis adtemperandæ regulæ ſunt, quibus inſiſtere tenetur. Quemadmodum enim jam advertimus, regulæ illæ non tantum cum ipſa natura hominis, ſed & cum ejus conditione ſtatuque congruere debent.

§. II.

Homo natura alteri naturæ obnoxius eſt, unde humanarum actionum *Lex* debet eſſe Regula.

PORRO inter primigenios ſtatus hominis, potiſſimum attendi debet ſtatus ille propter quem alterius Juris ſubditus eſt, hinc enim præſertim deducitur ejus actionum regula. Enimvero qui alteri neutiquam ſubditus eſt, is præter ſuæ Rationis præſcripta aliam regulam non agnoſcit, unde alterius voluntati nulla in re ſubjacet, ac uno verbo ſuique ſuarumque actionum omnimodus dominus eſt. Secus ſe res habet in illo, qui alterius poteſtati ſubjectus intelligitur. Qui enim ſe ſentit experiturque Domino ſubditum, pronum eſt ut in ſua agendi ratione illius domini voluntati obſequatur: quoniam enim ab eo pendet, vetat

tat eum Ratio veram felicitatem ſperare; niſi ſe pro domini voluntate gerat, ejuſque propoſita exequatur. Atque hoc plus minuſve patet, prout alter plus minuſve domino ſubditus eſt, domini autem imperium vel omnimodum eſt vel circumſcriptum. Quæ noſtræ omnes adnotationes pulchre intelliguntur ad hominem ſingulari modo pertinere. Igitur homo ſimul atque dominum agnovit cujus arbitrio ſubjacet, conſequens eſt ut illius domini voluntatem actionum ſuarum regulam ducat eſſe. Hoc illud *Jus* eſt quod *Legis* nomine inſignitur.

Domini tamen voluntas nihil debet habere Rationi contrarium, quæ humanarum actionum primigenia regula eſt. Namque contra Rationem non poſſumus obſequi. Quo igitur Lex humanarum actionum regula fiat, neceſſe omnino eſt ut cum hominis natura & conditione conſentiat, atque ad ejus felicitatem ultimo loco referatur, quoniam Ratio hominem ad felicitatem expetendam neceſſario impellit. Quæ quamquam ex ſe perſpicua ſunt, magis adhuc evadent perſpicua, poſtquam accuratius explicata fuerit natura Legis.

§. III.

Definitio *Legis.*

LEGEM definio *Regulam a ſocietatis Principe ſuis ſubditus præſcriptam; ſive ut eis incumbat obligatio quaſdam res faciendi, adjuncta cujuſdam pœnæ comminatione; ſive ut ad arbitrium ſuum quaſdam alias res agendi*

vel

vel omittendi, omnimoda libertas ipſis aſſeratur.

Noſtra hæc definitio paulum recedit a Grotii & Puffendorfii definitionibus. Sed utriuſque Scriptoris definitionem exiſtimavimus & nimis vagam, neque ſatis toti Legis extenſioni accomodatam. Quæ dicimus comperientur vera eſſe, ſi definitio allata cum adnotatis Grotii & Puffendorfii ſententiis per partes comparetur. (a)

(a) Vid. *Grot. De Jur. Bell. & Pac. Lib. 1. Cap. 1. §. 9. Et Puffend. De Jur. Nat. & Gent. Lib. 1. Cap. VI. §. 4. Quibus adde Notas Barbeyracii.*

§. IV.

Legem dico eſſe *Regulam:* primum ut id oſtendatur quod Legi eſt cum *conſilio* commune, utrumque enim vitam humanam ordinat: deinde ut ſecernatur Lex ab eis mandatis quæ dominus *obiter* injungit, quæque inter leges recenſeri non debent, quoniam ejuſmodi mandata *ſtabiles* Regulæ non ſunt quas ſubditi ſequantur. Regula enim hæc duo potiſſimum includit, nimirum ut ſit *univerſa* & *perpetua*, quæ univerſitas & perpetuitas quoniam Regulæ generatim ſpectatæ naturam conſtituunt, Legem etiam ſecernunt ab alia qualibet ſingulari Principis voluntate.

Dico præterea Legem eſſe Regulam *præſcriptam*; ſi quid enim Princeps animo ſuo conſtituat, nec ejus aliqua ſignificatione voluntas innotuerit, id pro Lege habendum non eſt. Principis enim voluntas quo par eſt modo ſubditis eſt declaranda, ut quid Princeps ab illis ſibi velit dignoſcere valeant,

leant, compertamque habeant neceſſitatem ſuas actiones ad præſcriptam Legem accommodandi. Cæterum quocumque modo Principis voluntas declaretur, ſeu viva voce, ſeu in ſcriptis aliterve, parum id quidem intereſt, dummodo Legislatoris voluntas plane ſit nota ſubditis.

§. V.

Quid ſit *Princeps*, quid *Principatus*, quid *Jus imperandi*.

SED quam Legis definitionem propoſuimus, ulterius explanemus. Lex a Principe præſcribitur, unde diverſa eſt *ab amici æqualiſve hominis conſilio*, quorum in nos poteſtas nulla eſt, quorumque idcirco conſilia non eamdem vim habent, nec eamdem pariunt obligationem ac Lex, quę cum manet a Principe, ejuſdem imperio & auctoritate nititur. (*a*) Conſilio obſequimur ob cauſas ex ipſa rei ſuaſæ natura deductas; Legi vero paremus non ſolum ob cauſas propter quas conſtituta eſt, verum etiam propter Legislatoris auctoritatem. Ex conſilio nata obligatio mere *interior* eſt: ſed ex Lege parta obligatio non ſolum interior, ſed & *exterior* eſt. (*b*)

Societas, quemadmodum jam adnotavimus *plurium eſt conjunctio in quemdam finem*, *ſeu communem quamdam utilitatem*. Societatis finis eſt *exitus ſeu utilitas quam ſibi propoſitam habent Entia ratione prædita*, *quamque ſibi comparare volunt*. *Plurium autem conjunctio*, *eſt eorumdem voluntatis conſenſus ad aſſequendum finem omnibus in commu-*

(*a*) Vid. *Puffend. Jus Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VI.* §. 1.

(*b*) Vid. *ſup. Cap. VI.* §. 13.

ne

ne propoſitum. Quamquam vero Legis definitioni ſocietatem admiſceamus, ne tamen inde colligas conſtituendis Legibus ſocietatem omnino neceſſariam eſſe. Etenim res ſi ſubtilius diſputetur, & in ſtrictiſſima ſignificatione Legem accipiamus, recte poteſt Lex intelligi, etiamſi Princeps vel unum hominem ſuæ poteſtati ſubditum habeat: ſed ideo ponimus Principem, qui hominum ſocietati præſit, quo noſtra Legis definitio ad *factum* ſeu præſentem rerum conditionem propius accedat. Advertendum tamen eſt ex hoc ipſo quod hinc ſtet Princeps, illinc adſint ſubditi, inter utroſque naſci ſingularis generis ſocietatem, quam poſſis dicere *inæqualitatis ſocietatem:* imperat Princeps, obſequuntur ſubditi.

Itaque *ſummus Dominus* ſeu *Princeps* eſt ille, *cui jus ita competit imperandi, ut ejus imperio non ſit imperium majus*. IMPERAT autem *is qui ad arbitrium ſuum actiones dirigit ſubditorum quos ad obſequium cogere poteſt*. Principis imperio dixi non eſſe *imperium majus*, quoniam ut Princeps in ſocietate primas obtinet, ſic ejus voluntas cujuſvis alius voluntate potior eſt, eique ſingula ſocietatis membra obnoxia ſunt. Denique JUS IMPERANDI nihil aliud eſt *quam poteſtas aliorum actiones convenienti auctoritate dirigendi*. Sed quoniam poteſtas utendi ſuis viribus ſuaque libertate non aliter eſt *Jus*, niſi quatenus & Ratio ſuffragatur atque ſuam huic Juri auctoritatem impertit, hinc eſt ut ultimo

lo-

loco Jus imperandi ipſo Rationis ſuffragio conſtituatur.

§. VI.

Hic locus erat accuratius indagandi quænam *Imperii* ſeu *ſummi Dominii* genuina ſint fundamenta, ſeu quod idem eſt, ex qua cauſa partum ſit jus imponendæ aliis obligationis, eoſque ad obſequium adigendi. Quæ quidem quæſtio tum in ſe graviſſima eſt, tum in ſuis effectibus maximum habet momentum. Quo penitius enim cauſæ dignoſcentur ob quas ex altera parte imperium conſtituitur, ex altera vero parendi neceſſitas incumbit, eo verius lubentiuſque quibus ſubditi ſumus, obſequemur. Præterea quæſtionem illam non obiter diſceptandam eſſe monet nos ipſa de imperii fundamentis opinionum varietas.

CAPUT IX.

Imperium *ſeu* Jus imperandi *quibus fundamentis nitatur*.

§. I.

1\. *Adnotatio.* Hic quæſtio movetur de *neceſſario principatu*.

Quibus fundamentis Imperii jus nitatur hoc loco inquirentes quæſtionem in univerſum conſideramus, mentemque a ſingulis generibus abſtrahendo. Itaque quæritur undenam derivetur ſummum illud

illud imperium cui neceſſario parendum ſit; vel ſi mavis, cauſas inquirimus ex ipſa rerum natura profluentes, ob quas neceſſe ſit ut alii quidem imperent, alii autem obediant. Seponatur igitur quidquid attinet ad ſingulare quoddam imperii genus, iiſque tantum generalibus notionibus attendamus unde fluunt prima principia. Quoniam verò generalia principia, ſi modo vera rectaque ſint, ad ſingulas quaslibet cauſas aptari facile poſſunt, ſequitur ponenda eſſe ea prima imperii fundamenta, ſeu cauſas quibus imperium conſtituatur admittendas eas eſſe, quæ apprime congruant cum omnibus quibuslibet imperii principatuſve cognitis generibus. Atque ſic, ut ſuperius dicebamus, vel plane compertam habebimus principiorum veritatem, vel in quo manca ſint dignoſcemus.

§. II.

PRÆMITTENDA etiam eſt alia hæc in univerſum adnotatio. Neque ullum imperandi jus, neque ulla parendi obligatio naturalis & neceſſaria eſſe poteſt inter eos quorum facultates conditionemque eadem natura ſic adæquavit, ut quod alterutri inſit, idipſum in altero reperiatur. Quod cum ita ſe habeat, quibus de cauſis alius ſibi poteſtatem in alios arrogaret, in illum cœteri eaſdem ob cauſas vindicarent imperium. Quoniam autem eo deducta res in abſurdum verteretur, conſequens eſt propter

2. Adnotatio. Inter eos quorum eſt eadem prorſus naturæ conditio, neque Principes neque ſubditi neceſſarii ſunt.

pter illam quam dicimus inter plures æqualitatem, ut alterius poteſtati eorum nullus neceſſario ſubjaceat: quemadmodum ſi duo apponantur æqualia pondera, neutrum aliud extollet. Quorum igitur alios præeſſe, alios ſubjici volumus, neceſſe eſt eorum natura diverſas omnino facultates includat, ex qua facultatum diverſitate ſequitur ut hic quidem ſit *Dominus*, ille vero *ſubditus*. Sed facultates illas aliter alii definiunt.

§. III.

Variæ de imperii origine & fundamento ſententiæ.

1. Cenſent nonnulli præſcribendarum Legum & obligationis imponendæ jus non alio vero primoque fundamento niti quam ſola virium præſtantia, vel ut loquuntur *ineluctabili poteſtate*. „ Ex qua, inquiunt, „ virium præſtantia gignitur regnandi jus, „ quoniam qui viribus ita præpollet, ei „ nequeunt (a) alteri reſiſtere.

2. Imperii originem & fundamentum alii referunt „ *ad naturæ præſtantiam*; cujus enim natura præſtantior, is non ſolum ab „ aliis non pendet, quorum minus eſt præ„ ſtans natura, verum hi alterius cauſa „ nati ſunt: quod vel per ipſam hominis „ naturam arguitur; etenim in homine „ mens eſt quæ regit, utpote pars nobi„ lior, unde etiam homini ſuum eſt in „ cœteros animantes imperium. (b)

3. Neque tertia emittenda eſt Barbeyracii ſententia (c). Sanæ mentis ſcriptor ille unum contendit obligationis generale

(a) Vid. *Hobb. De Cive Cap. XV.* §. 5.

(b) Vid. *Pufend. De Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VI.* §. 11.

(c) *Barbeyracius not.* 2. *in Lib.* I.

rale principium eſſe, in quod cætera omnia obligationis principia reſolvantur: nimirum DEO natura ſubditi ſumus, ſiquidem nos condidit, unde partum illi jus homines cogendi ad illum inditarum hominibus facultatum uſum quem ipſe Deus manifeſto præſcripſerit. „ Opifex, inquit Barbeyracius, „ quatenus eſt opifex, dominus eſt ſui o„ peris quo ad arbitrium poteſt uti...... „ Sculptor ſi proprio marte vivas poſſet „ imagines effingere...... hoc ipſo jus na„ ctus eſſet ad obſequium adigendi ſuis ma„ nibus elaboratum, & intellectu præditum „ marmor. Porro Deus eam qua conſta„ mus materiam ejuſque partium formam „ effinxit; noſtra tum corpora tum mentes „ creavit, mentibuſque ſuas facultates in„ didit: Quos ergo limites vult, poteſt Deus „ præſcribere humanæ mentis facultatibus, „ quibus idcirco pro divino juſſu hoc vel „ illo modo tenentur homines uti, &c. *Cap. 11. De offic. Hom & Civ. §. 5.*

§. IV.

De origine & fundamento Principatus & parendi obligationis eæ ſunt præcipuæ tradi ſolitæ opiniones. Excutiendæ ſunt nobis illæ, quas ut melius dijudicemus a *phyſica* neceſſitate, diſtinguenda ſemper erit *moralis* neceſſitas: tum etiam attendendæ primigeniæ *juris & obligationis* notiones juxta ſuperiorem noſtram utriuſque definitionem. (a) Superiores opiniones excutiuntur.

1. Quibus ita poſitis, principium mancum atque etiam falſum, ſi penitius indagetur, 1. Ex ſola virium pręſtantia imperandi jus non exiſtit.

(a) Vid. *Cap. VI. & VII.*

tur, ab illis ſtatui dico, qui jus imperandi ponunt in ſola virium præſtantia ſeu poteſtate cui non poſſit obſiſti. Etenim ex eo quod cui non poſſim obſiſtere, conſequens non eſt ut illi partum ſit in me Dominium, ſeu ut illi tenear ſubjici, atque voluntatem ejus habere tanquam univerſam mearum actionum regulam. Etenim cum illud ſit *Jus* ſive *Rectum* cui Ratio ſuffragatur, ex hoc uno Rationis ſuffragio, ei qui præeſt, partum eſt imperandi jus, unde etiam neceſſario conſequens eſt, ut hæc eadem Ratio imperanti ſuffragans in ſubditis quoque mentis illum affectum pariat quem dicimus obligationem, ex quo mentis affectu volentes lubenteſque alterius imperio ſubjacemus. Quamlibet igitur obligationem antecedunt quædam cauſæ quibus & afficitur mens & voluntas flectitur, ita ut duce noſtra Ratione judicemus ipſimet inique nos imperium detrectaturos, etiamſi poſſemus, quoniam jure non poſſumus. At quicumque non aliam imperii cauſam præfert quam unam ſuarum virium præſtantiam, is certe cauſam non prætendit obligandæ voluntati ſufficientem. Verbi gratia, malefico nullum eſt imperandi jus, quoniam viribus præſtat, neque illi tenemur obſequi, quia illud obſequium, tum juri quale concipitur, tum obligationi manifeſte adverſatur. Quinimo primum eſt hoc in potentiam maleficam Rationis conſilium, ut & illi obſiſtamus, eamque, ſi fieri poteſt, deleamus. Illud autem obſiſtendi jus non poteſt conſocia-

ſociari cum obſequio; ſed obſequium excludit. Equidem ubi perſpicuum eſt vanos fore conatus noſtros, & reluctantibus majus malum concitatum iri, ſatius erit ad tempus obſequi, licet invitos, quam invitæ potentiæ malitiam experiri: tunc enim cogimur ei, ſed non obſtringimur jure. Vim igitur ineluctabilem patimur inviti, palam obſequimur, ſed intus obluctamur; eſt enim is nobis innatus ſenſus, unde etiam integrum jus retinemus ad iniquum jugum quibuſcumque rationibus excutiendum. Nulla igitur proprie dicta tenemur obligatione. Ibi autem jus deficit, ubi deficit obligatio (a). Quibus itaque in ſola virium præſtantia conſtituitur imperandi jus, ii certe damnoſam proponunt opinionem, cujus conſecutiones non eſt hic nobis animus perſequendi; eam enim ſententiam per vera noſtra principia ſatis eſt exploſam fuiſſe, quamquam forte iterum de illa alibi.

(a) *Vid. ſup. Cap. V. §. 6.*

§. V.

Neque ex ſola naturæ præſtantia jus imperandi eſt.

Probabile quid atque etiam verum ineſt in duabus aliis de quibus dictum eſt opinionibus. Neque tamen hæ videntur nobis ſatis ad rem facere, quoniam nimis vaga ſunt deducta ex illis principia, quæ nos idcirco volumus æquis limitibus ſuis circumſcribere.

2. Meo namque judicio ex ſola naturæ præſtantia non ſatis apte deducitur imperandi jus. Equidem illam naturæ præſtan-

tiam, in quo mihi perſpecta fuerit, in illo fatebor ineſſe; ſed ex illa confeſſione mea nihil ulterius ſequitur; namque ex eo quod aliquis mihi præpolleat, non colligitur ſatis idonea cauſa propter quam illi me penitus ſubdam, & abnegata mea voluntate jam non aliam quam illius voluntatem ſequar. Igitur quamdiu mihi præcellentem alicujus naturam enarrabunt, nec aliud adjicient, ad obſequium mea mens non movebitur, quoniam vel ipſa ſuffragante mihi mea conſcientia judicabo ſufficientem ad agendum eſſe mihi meam Rationem. Itaque laudatam in altero naturæ præſtantiam contemplabor quidem, at cauſam obſequii nullam adhuc video. Sin a me contendere pergis ut obſequar, en quo rem deducam. Quem mihi dicis præcellere, dicas etiam velim an mihi bene, an facturus ſit male, vel an is ſit qui nullam mei curam gerat? Neceſſe autem tibi eſt reſpondere, atque ego fortaſſis pro tuo reſponſo, cujus dicis præſtantiorem naturam eſſe, ei fatebor eſſe jus imperandi, unde mihi obligatio incumbet parendi. Sed ex iis quæ diſſeruimus ſatis liquet, ni fallor, imperii jus in ſola naturæ præſtantia non ſatis apte collocari.

§. VI.

Neque ſola ſufficit qualitas Conditoris.

3. TERTIA forte opinio minus vaga eſt. „ Deus, inquiunt, conditor eſt hominum, „ a quo vitam, Rationem, aliaſque ſuas „ facultates hauſerunt. Deus ergo prorſus „ eſt

„ eſt operis ſui dominus, humanoque ge-
„ neri quas vult regulas poteſt injungere.
„ Hinc fit ut natura Deo ſubditi ſimus,
„ cujus omnimodum in nos imperium eſt,
„ atque hinc etiam exiſtit primæva origo,
„ ſeu primum cujuslibet imperii fundamen-
„ tum.

Hujus tertiæ opinionis auctor quidquid hìc attexit, ut in homines imperium Dei conſtituat, ad ſummam Dei potentiam reducitur. Verum ex eo quod omnipotens Deus eſt, an neceſſario & proxime ſequitur ei *jus* eſſe Leges hominibus injungendi? In hoc enim vertitur totus difficultatis cardo. Itaque Deus cum ſit omnipotens, valet in homines quidquid vult ſtatuere, eoſque ad placitum ſuum exequendum adigere: Neque enim creatori poteſt obſiſtere res creata, quæ propter ſuam naturam conditionemque ita in poteſtate conditoris eſt ut is eam ad libitum ſubvertere poſſit, & delere. Neque de hoc ambigitur. Sed rurſus ſola Creatoris *potentia* non videtur ſufficere ad illius *Jus* conſtituendum, atque quid aliud requiritur ut ſimplex illa *potentia* qualitatis *moralis* naturam inducat & in *jus* convertatur. * Ac uno verbo neceſſe eſt, ut jam ſæpius adnotatum fuit, eam eſſe potentiam, cui Ratio *ſuffragetur*; ut ei lubens homo ſubjaceat ex illo ſuæ mentis affectu qui parens eſt obligationis.

*Vid. *ſup.* c. 7. §. 3.

Quo res clariori ſe luce prodat, fingamus hominem a Deo conditum ut miſer eſſet: quo poſito, ſemper homo quia con-

ditus, & Deus quia conditor, alter ad alterum referentur; ſed inter utrumque concipi nequit vel jus vel obligatio. Conditoris certe poteſtas ineluctabilis ad obſequium poſſet hominem cogere; ſed illata vis neque obligationem, cui Ratio aſſentiretur, nec *morale* vinculum pareret; quam enim dicimus moralem obligationem comitari debent hominis ea voluntas aſſenſuſque, ex quibus voluntarium obſequium gignitur: Qui vero ſummam ſuam poteſtatem in hominis ærumnam oppreſſionemque adhiberet, fieri nequit ut ei homo aſſentiatur.

Sola igitur Conditoris qualitas non ſufficit ad conſtituendum hinc Jus imperandi, illinc parendi obligationem.

§. VII.

Imperii vera fundamenta ſunt *Poteſtas, Sapientia, Benignitas* ſimul junctæ.

At vero, quod veriſimile eſt Barbeyracium ſenſiſſe, nec ſatis expoſuit, ſi Conditorem ponamus non omnipotentem ſolum, ſed & ſumme ſapientem benignumque, cujus potentia non in alium finem quam in hominis utilitatem & commodum impendatur, certe quidquid ad legitimæ auctoritatis conſtitutionem requiritur, illud habebimus.

Noſtram ipſorum conſcientiam excutiamus. Natura ponatur omnipotens per quam exiſtamus, a qua nobis vita noſtræque omnes facultates conceſſæ ſint; tum alterum illud addatur, huic nimirum Naturæ haud minori ſapientia quam poteſtate inſtructæ

non

non alium fuiſſe propoſitum finem quam ut præſtaret beatos quos conderet, ob quam etiam cauſam illis injungeret Leges; porro hæc omnia conſtare nobis certiſſime: jam quæro quid ex his putamus conſequens eſſe? Equidem huic omnipotenti domino, quoniam ſapientiſſimus & benigniſſimus eſt, mens ultro ſe ſubjicit, atque in hujus imperio delectatur. Qui alterius poteſtatem probat, eidem imperandi jus eſſe confitetur, cui proinde Ratio ſuadet ut nos omnino committamus regendos, ei pareamus, & omnia facta noſtra exigamus ad cognitam illius voluntatem. Quorſum hoc? Quoniam ea rerum conditio eſt, ut non alia nobis via certior & expeditior ſuperſit eam ad quam tendimus felicitatem aſſequendi. Quod ubi compertum eſt, volentes imperanti auſcultamus ſubjacemuſque: ſin autem imperio detrectato quid mali nobis contigerit, non poſſumus quin noſmetipſos improbemus atque merito plecti fateamur. Ex iis quæ jam diſputavimus deducenda eſt proprie dicta obligatio.

§. VIII.

Sententiæ noſtræ expoſitio.

Quo igitur omnia complectamur conjungamuſque, & ſuis omnibus numeris noſtra definitio conſtet, dicendum eſt: *Imperii Jus a præcellenti poteſtate derivari quam poteſtatem ſapientia & benignitas comitantur.*

Ac primum *præcellentem poteſtatem* dico: quorum enim eſſet poteſtas æqualis, neu-

trius in alterutrum imperium eſſet, & alterutri neuter naturali ſubjaceret neceſſitate. Præterea imperii nullus eſſet exitus, & mandata per quæ imperium vim ſuam exerit, nullius forent ponderis, niſi ſufficienti poteſtate firmarentur. Quis vero Principem illum dicat, cui efficax non ſuppeteret ratio ſubditos in obſequium adigendi?

Sed neque ſufficit præcellens poteſtas illa, quoniam deinde requiritur, ut *ſapiens* & *benefica* ſit. Sapere debet hæc poteſtas ut noſtræ felicitati maxime conducentes rationes dignoſcat & eligat; debet autem eſſe benefica, ut quæ noſtræ felicitati rationes conducunt, in univerſum gaudeat uſurpare.

Quod ut perſpectum omnino ſit, advertenda tria ſunt, quæ in hoc argumento ſola poſſunt adverti. Quam enim præpotentem naturam dicimus vel in nos ſe habebit *indifferenter*, nimirum neque bene neque male nobis facere curabit, rerum noſtrarum unice ſecura; vel erit *malefica*, vel denique in nos propenſa & *benefica*.

Si natura hæc in nos ſe habeat *indifferenter*, nihil ad inſtitutam quæſtionem noſtram attinet. Nam quantumvis altera mihi natura præcellat, ſi me neutiquam curet, meque mihi omnino permittat, jam in illam non aliter me habeo, quam ſi vel eſſet mihi prorſus ignota, vel omnino non exiſteret. (1) Itaque nec illi jus in me ullum,

(1) Impie ſentiebat *Epicurei*, qui ſibi Deos finge-

ullum, nec ego ulla in eam adſtringar obligatione.

Sin invidia & malefica natura ponatur, non ſolum ei Ratio non ſuffragatur, ſed adverſus illam eo vehementius inſurgit, quod magis timenda eſt, quia potentior. Naturæ namque maleficæ *potentiam* non poteſt homo tanquam *jus* habere; ſed homini contra fas eſt, ut quibuſcumque rationibus formidabili Domino ſe ſubtrahat, & & mala declinet ab illo imminentia.

Sed naturam ponamus æque ſapientem ac beneficam. Non ſolum huicce naturæ ſuffragabitur homo, ſed ultro & ſponte ſua ejuſdem voluntati aſſentietur, quoniam ei naturæ omnia inſunt neceſſaria per quæ propoſitum finem aſſequamur. Natura enim illa cum ſit *præpotens*, eorum qui ei ſubditi ſunt, omnino poteſt utilitatem promovere, quæ vero noxia procul ab illis amandare. Tum quia *ſapiens* eſt, eorum quibus injungit Leges, perſpectas penitus habet ingenitam indolem, facultates, vires, atque veram utilitatem. Quapropter neque in fine ad quem ſubditos deſtinat neque in rationibus quibus finem illum aſſequatur eligen-

fingebant ut ſumma, ſic & quietiſſima felicitate perfruentes, humanis rebus dedignantes conſulere, atque hominum proba vel improba facinora neutiquam reputantes. Quæ quamquam impia ſententia ſit, ex ea tamen ſemel poſita recte colligebant Epicuræi quamlibet Religionem & quemvis Deorum metum vanum & fictitium eſſe. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VI.* §. 11. Vid. *Cicer. de Nat. Deorum. Lib. I. Cap. II.*

eligendis hallucinari poteſt. Denique quoniam *benigna* eſt, ſuos ſubditos revera vult beatos præſtare, unde ad illam ſubditorum felicitatem cunctas ſapientiæ & potentiæ ſuæ actiones conſtanter dirigit. Quoniam igitur humanæ Rationis aſſenſum arctiſſime ſibi devinciunt quæ cum poteſtate ſapientia & benignitas conjunguntur, pariter hominem flectunt validiſſime, atque ſic tum interius tum exterius obligatur homo, teneturque præſcriptis ſibi Legibus parere. Imperii vero jus eo vero fundamento nititur.

§. IX.

Quæ ſummi Principis jus conſtituunt qualitates aliæ ab aliis non ſunt ſejungendæ.

Si res in ſe diſpiciatur, homo cum ſit Ratione & Libertate præditus, nullo poteſtatis alienæ metu, ſed ſola alieni imperii ſapientia & benignitate deberet obligari. Sed homines ita ſunt natura comparati, ut quoniam leves inconſideratique, vel cupidi pravique ſunt, neque ſapientia Legislatoris, neque Legum præſtantia plerumque ſatis afficiantur, ideo ad eorum flectendam voluntatem opus fuit alia cauſa efficaciori, qualis eſt pœnæ metus. Igitur in eo qui præeſt auctoritatis columen poteſtas & vis requiruntur; nec in Principe ſejungendæ ſunt diverſæ facultates ex quarum conjunctione jus confluatur imperii. Jus enim illud nullo modo gignitur ex ſola poteſtate quæ benevolentia deſtituta eſt: ipſa autem non ſufficeret benevolentia quæ ſapientiam & poteſtatem non haberet adjunctas

Ne-

Neque enim, ſi cui bene velim eſſe, aut etiam aliquot in eum beneficia contulerim, idcirco imperii jus in illum nanciſcor. Beneficia grati animi propenſione rependuntur; ſed ut te beneficiorum memorem exhibeas, neceſſe non eſt ut a quo beneficia præſtita ſunt, ei te tanquam domino ſubijcias. Verum quas enumeravimus præſtantiſſimæ naturæ præcipuas dotes conjungamus, & ſummam quidem poteſtatem ponamus cui homine reipſa ſubjaceant, ſed quam ſummam poteſtatem ſapientia ſumma temperet, & ſumma incitet benignitas; quid adjici præterea poteſt, ut hinc omnimoda conſtituatur auctoritas, & omnimodum illinc obſequium? Qui enim ſumme potens, ſumme ſapiens, & bonus eſt, ei cogitur Ratio imperii jus concedere, ipſaque nos ad parendum hortatur, & ſtimulat. (1)

§. X.

(1) Dici quidem poteſt obligationem *exteriorem* ex *Principis voluntate* derivari; ſed hæc generalis ſententia enucleari debet ea omnia expendendo quæ nos jam diſputavimus. Hi autem non mihi probantur qui obligationem exteriorem pendere negant ab ulla vi, ſed vim ineſſe Principi dicant ut poſſit jus ſuum tueri. Qui enim natura conjunctas obligationem & vim cogitatione ſegregant, ipſum convellunt obligationis fundamentum. Nam neque ulla eſt exterior obligatio abſque Principe, nec Princeps abſque *vi*, ſeu quod idem eſt, abſque poteſtate; itaque vis ſeu poteſtas neceſſario alterum eſt obligationis fundamentum.

§. X.

In definitione Principis & imperii etiam continetur ſubditorum definitio. Itaque ſubditorum nomine veniunt *ii homines quicumque tenentur parere*. Quoniam vero *Potentia*, *Sapientia*, atque *beneficentia imperii jus* conſtituunt, ſic ex *imbecillitate* & *inopia* ſubditi ſunt homines.

Quapropter recte a Puffendorfio dictum eſt, * obligationem exteriori cauſa partam ideo in hominem cadere, primum quia homo natura pendet a Domino, tum deinde quia intellectu & libertate inſtructus non ſolum injunctas ſibi regulas dignoſcere poteſt, ſed & iis ſuas actiones cum delectu adtemperare. Quamquam autem vera ſit Puffendorfii ſententia, quæ neceſſario ponenda intelligitur, alia tamen eſt verior & proximior cauſa propter quam homines ad obſequium teneantur. Quo autem proximior illa cauſa apprehendatur, operæ pretium eſt advertere, tum demum obligatione conſtringi naturam Rationis participem, ſi is qui imperat, idem poſſit velitque felicitate remunerari obſequentem, vel Leges detrectantem infortunio plectere: id autem locum non haberet, ſi non poſſet homo *bono* vel malo affici, lætitia exhilarari vel dolore deprimi, ejuſque præterea felicitas vel infelicitas minui vel augeri. Quæ niſi ſic ſtatuantur, homo quidem ineluctabili vi ad certam agendi rationem

*Vid. *Puffend. de offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. II. §. 3. & de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VI. §. 6. 8.*

nem poterit adigi, ſed proprie non *obligabitur*.

§. XI.

Non poteſt obligatio perfectior excogitari quam quę a Lege proficiſcitur.

Vera certe poſuimus imperii fundamenta, quorum veritas manifeſtior adhuc evadet, ſi generalia noſtra principia cum ſingulis, quæ nobis nota ſunt, imperii generibus conferantur: puta cum imperio Dei in homines, Principis in ſubditos, Patrum in liberos. Hæc enim ſingula imperii genera liquebit in noſtris principiis fundamentum ſuum habere, unde novum deducitur argumentum per quod eorumdem principiorum veritas aſſeritur. * Sed illud impræſentiarum ſatis eſt adnotaſſe, quod ſubinde diligentius expendetur.

* Vid. ſup. §. 1.

Quapropter non alia poteſt abſolutiſſima obligatio excogitari quam quæ laudatis ſuperius fundamentis nititur, utpote quæ originem ex eo imperio ducit in quo id continetur quidquid aptiſſimum eſt hominibus ſic arcte devinciendis, ut in omni ſua agendi ratione Legibus obtemperent. Summam enim imprimis obligationem conſtituunt eæ cauſæ quæ tam gravi momento voluntatem humanam flectunt, ut præ illis aliæ omnes leves ſint. Porro ea quam expoſuimus doctrina omnia complectitur quæ voluntati ſic inflectendæ conducunt. Ac primo quidem Regulas illas ſummus Dominus conſtituit quæ ſuapte natura tum noſtræ virtuti perficiendæ, tum promoven-

dæ

dæ noſtræ felicitati aptiſſimæ ſunt: deinde ſummi Domini ea poteſtas & auctoritas eſt, ut penes illum ſit noſtra vel felicitas vel infelicitas: tum denique quia ſummopere potens, ſapiens, & benignus eſt, omnimodam illi fidem habemus. Quid aliud poteſt excogitari quo validius inclinetur voluntas, devinciatur animus, & homo conſtringatur arctiſſimo illo *moralis neceſſitatis* vinculo, unde paritur arctiſſima obligatio. *Neceſſitatem moralem* dico; neque enim naturam hominis ſubvertere volumus: ſua ſemper homini ſalva eſt natura intelligens & libera; neque ſummus Dominus aliter ſuis Legibus regendum hominem ſuſcipit, niſi quatenus homo intellectu pollet & libertate. Neque enim Libertas unquam cogitur quantumvis arcta ſit obligatio, ſed ea ſemper homini facultas ineſt, ut detrectandi imperii periculum inire valeat. Verum tamen homo ſi præcepta Rationis auſcultet, inditam ſibi detrectandi imperii facultatem *metaphyſicam* non uſurpabit, ut ſummi ſui Domini propoſitis obſiſtat in ſuam ipſius perniciem.

§. XII.

Quam dicimus obligationem, ea ſimul *interior* & *exterior* eſt.

Jam duplex aſſignatum eſt obligationis genus (a); alia eſt *interior* quæ oritur ex cognitione boni vel mali ipſis rebus inhærentis, quæ proinde obligatio unius Rationis

(a) Vid. *ſup. Cap. VI. §.* 13.

nis opus eſt : alia eſt *exterior* quæ cauſam habet ejus voluntatem cujus in nos principatum & dominium agnoſcimus . Porro Lex utrumque illud interius & exterius vinculum generat , quorum alterum mutuas vires præbet alteri , unde exiſtit perfectiſſima obligatio . Atque hinc veriſimiliter fit ut Jureconſulti non aliam admittant proprie dictam obligationem quam ex Lege partam & injunctam a Principe . Quod ita verum eſt , ſi ſola intelligatur *exterior* obligatio , quæ potentiſſima eſt & validiſſime hominem conſtringit . Neque tamen hinc colligas nullam eſſe aliam obligationem præter eam quæ exterior eſt . Namque cum quæſita eſt nobis origo & natura obligationis generatim ſpectatæ ; tum deinde cum partam ex Lege obligationem expenderemus , ea dogmata ſtatuimus ex quibus , ni fallor , liquet aliam eſſe *primigeniam* & *interiorem* obligationem quæ a Ratione disjungi nequeat , ſed quæ *exteriori* obligationi conjungenda eſt , ut hæc ab illa vim eam mutuetur , quæ voluntatem impellat flectatque , & quo velit , eo convertat humanam mentem .

Quod noſtrum de præſenti materia judicium ſi quis ſedulo perpendat , comperiet fortaſſis noſtrarum opinionum ope inter ſe ſententias illas convenire , quæ non ob aliam cauſa videntur inter ſe diſſentire quàm quod male intelligantur . Sed illud ſaltem auſim aſſerere me in conſtituendis imperii fundamentis eam ſententiam ſequutum eſſe , quæ ab ipſa Puffendorfii ſententia minime abhorret ,

ret, uti videre erit, ſi quæ nos tradidimus cum iis comparentur quæ Puffendorſius ſcripſit tum in magno, tum in compendioſo ſuo libro. (a)

(a) Vid. *Puffend. De Jur. Nat. & Gent. Lib.* 1. *Cap. VI.* §§. 5. 6. 8. & 9. Et *Offic. Hom. & Civ. Lib.* 1. *Cap. II.* §. 3. 4. 5.

CAPUT X.

Quis Legum Finis, *quæ* Natura, *quæ ſint* Discrimina.

§. I.

De *fine* Legum quantum ſpectat ad ſubditos & ad ipſum Principem.

Dicet forte aliquis Imperii naturæ fundamentiſque diutius nos immoratos. Sed tantum erat hujus argumenti momentum, ut operæ pretium duxerim quibus principiis imperandi jus continetur quam poteram accuratius evolvere. Erat enim hæc aptiſſima ratio per quam dignoſceretur natura Legis; & ſane quidquid poſtea de Lege diſputabimus, illud a principiis ſupra poſitis deducendum erit.

Ac primo quæritur quis *ſcopus*, quis *finis* ſit Legum?

Hujus quæſtionis duplex, ut ita dicam, facies eſt. Inſtituiturnæ quæſtio de ſubditis, an de Principe? Hoc enim primo diſtinguendum occurrit.

Princeps & ſubditi alter ad alteros ſic invicem referuntur, ut hinc exſurgat ſocietas quam Princeps ſuis Legibus moderatur. Quoniam autem in quavis ſocietate iis eſt conſulendum qui ſunt ſocietatis partici-

ticipes, ad illumquoque finem Leges omnes adtemperandæ ſunt; & qui Legum finis ſpectat ad Principem ei fini non debet adverſari qui pertinet ad ſubditos.

§. II.

Quod attinet ad ſubditos, is Legum finis eſt, ut juxta Leges ſe ſubditi gerant, atque ſic felicitatem aſſequantur. Quod ſpectat ad Principem, ei propoſitus hìc finis eſt, ut ipſe ſibimet acceptus ſit bene ſibi conſcius, & meritam laudem referat, ſi proſpere ſuccedant quæ ſapienter conſtituit in ſuorum ſubditorum ſalutem & felicitatem. Igitur disjungendi non ſunt hi duo fines natura ſibi cohærentes; nec aliunde quam ex ſubditorum felicitate quærendum eſt Principi decus & ſibi bene conſcia mens.

§. III.

Is Legibus finis propoſitus eſt, non ut Libertas coarctetur, ſed convenienter dirigatur.

Ne quis ergo exiſtimet ideo conſtitutas eſſe Leges ut homines jugo ſubjiciantur. Hujuſmodi finis a Ratione tam abſonus minime deceret ſummum Dominum, qui pro ſua natura, quantum eſt ſapiens potenſque, tantum debet benignus eſſe, & in omnibus quæcunque facit ab inſitis ſibi nunquam recedere perfectis virtutibus. Quorſum igitur Leges conſtitutæ ſunt? Nimirum ut ſubditi ſe gerere teneantur ſecundum vera ſua commoda, & eam viam inire, quæ cum optima & tutiſſima ſit, illos ad pro-

poſitum finem, nempe felicitatem, valet deducere. Quapropter ſummus Dominus ſubditos ipſe dirigendos aggreditur, utpote qui ſe ipſos non ita bene gererent, eorumdemque libertatem frænat, ne vel in ſuam vel in publicam peccent utilitatem. Uno verbo iis ſummus Dominus imperat qui ſunt Rationis participes, unde etiam juxta Rationis normam regendi ſunt, & omnia Principis mandata ejuſdem Rationis auctoritate, atque, ut ita dicam, ſigillo eſſe debent munita inſtructaque. Animos enim ſibi vult Princeps devincere, nec vim quandoque adhibet, quam ut a Ratione devios intra Rationis ſepta iterum compellat, ne ſuæ & publicæ utilitati noceant aberrantes.

§. IV.

Illud expenditur quod *Puffendorfius* in hoc argumentum protulit.

QUÆ cum ita ſint, non ſatis id accuratum videtur quod a PUFFENDORFIO dictum eſt in ea quam ſtatuit *Legis* cum *Conſilio* comparatione: „ Conſilium, inquit, „ in eum finem tendit quem ſibi propoſitum habet is cui datur conſilium, ita „ ut cui quidpiam ſuadetur, is poſſit propoſitum finem deijudicare, probare, vel „ rejicere..... Lex vero tendit in finem „ Legislatori propoſitum; atque ſi forte „ contingat, ut in Lege quædam ſcripta „ ſint, quæ ad illos referuntur propter quos „ ſcripta eſt Lex, non ideo ſubditis licet „ Legis mentem expendere .... Quidquid

enim

„ enim includitur Lege, totum id ex arbitrio pendet Legiſlatoris (a) „ Meo quidem judicio minus claudicaret Punffendorfii ſententia, ſi duplicem ille Legum finem ſtatueret, quorum alter ſpectet ad Principem, alter ad ſubditos pertineat. Quod ad Principem ſpectat, hujus in conſtituendis Legibus ea mens eſſe debet, ut ſibi tum ipſe ſatisfaciat, tum gloriæ ſuæ conſulat. Quod autem pertinet ad ſubditos, ea debet mens eſſe Principis, ut qui ſibi ſubditi ſunt, eos præſtet beatos. Nequit alteruter finis ab altero diſſociari. Principem enim contumelioſe videntur illi habere, qui eum autumant uni ſibi ſtudere, ſubditorum utilitatis omnino ſecurum. Quamobrem in hoc argumento non ſecus ac in aliquot aliis Puffendorſium cenſeo Hobbesii dogmatibus indulgere.

(a) Vid. *De Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VI.* §. 1.

§. V.

Diſtinguitur Lex in *Legem obligantem*, & in *Legem mere permittentem*.

Legem diximus eſſe, „ Regulam ſubditis injunctam ob quam tenentur quaſdam res facere vel non facere, & per quam eiſdem licet alias quaſdam res ad arbitrium ſuum agere vel non agere. „ Quæ definitio hic nobis eſt accuratius explananda.

Principi ſine controverſia jus competit ſubditorum actiones ad eum finem dirigendi quem ipſe ſibi propoſitum habet. Quamobrem neceſſitatem eis imponit in quibuſdam agendi certa ratione vel non agen-

 di,

di, quæ obligatio primus eſt effectus Legis. Unde conſequens eſt omnes actiones, quæ non ſunt præſcriptæ vel prohibitæ, naturali libertati totas permittit; atque in ejuſmodi actionibus cenſetur velle Princeps, ut unicuique licitum ſit pro arbitrio ſuo ſe gerere: Quæ *permiſſio* alter eſt Legis effectus. Itaque Lex, ſi illam volumus totam amplecti, in duas partes dividi poteſt. Alia enim eſt *Lex obligans*, alia *mere permittens*.

§. VI.

Grotii & Puffendorfii in præſens argumentum ſententia.

GROTIUS quidem, eique ſuffragatus PUFFENDORFIUS, *permiſſionem* proprie dictam & in ſe ipſa ſpectatam arbitrantur non eſſe Legis effectum ſeu *actionem*, ſed ex parte Legiſlatoris eſſe *merum actionis defectum*. „ Quod Lege permittitur, inquit „ Puffendorfius, illud nec præcipitur, nec „ prohibetur; atque ſic Lex, quoties per„ mittit, nihil quidquam operatur. „

Magni forſan momenti non eſt eo modo Legis permiſſionem interpretari. Verumtamen BARBBEYRACIUS in ſuis ad dictam Grotii & Puffendorfii ſententiam adnotationibus videtur de hoc argumento verius & accuratius diſputaſſe. *Permiſſio* namque ex ſilentio Legiſlatoris orta non poteſt haberi ac velut in Legiſlatore *merus actionis defectus*. Nihil enim Legiſlator niſi conſulto & ſapienter molitur. Igitur ſi quæratur cur Legiſlator neceſſariam agendi rationem præcipiat

cipiat in quibuſdam rebus, ultra quas non extenditur Lex; reſpondetur, quia nempe Legislator id ſuis conſiliis judicavit conducere, ſi quibuſdam in rebus liceret ſubditis pro arbitrio ſuo ſe gerere. Itaque Legislatoris ſilentio revera, quamvis tacite, permiſſio ineſt eorum quæcumque prohibita vel præſcripta non ſunt; quamvis quod arbitrio relinquitur ſubditorum, id poterat prohibere vel præcipere Legislator, & certe prohibuiſſet vel præcepiſſet, ſi viſa eſſent expedire prohibitio vel mandatum. Quemadmodum igitur actiones præſcriptæ vel prohibitæ per Legem certo ordinantur, ſic etiam actiones permiſſæ pro ſuo modo naturaque per eandem Legem certo definiuntur. Uno verbo qui limites ſtatuit quos declarat non eſſe prætereundos, hoc ipſo teſtatur quouſque conſentiente illo licet progredi. Atque ſic *permiſſio* verus eſt Legis effectus non ſecus ac obligatio.

§. VII.

Cui noſtræ ſententiæ quo major lux affundatur, ponamus hominem, uti eſt, ſummo Domino ſubditum, cujus voluntatem teneatur exequi, tamquam univerſam ſuarum actionum regulam; jam homini hac in conditione conſtituto ſua jura competunt, propter quæ ſuas actiones tutus & pœnæ ſecurus peragit. Sed ſane jura illa Principis vel Legis diſerta vel tacita permiſſione fundantur. Quod ita verum eſt,

ut uno omnium conſenſum, ob permiſſionem alicui Lege conceſſam, & propter ortum inde jus, cæteris hominibus incumbat obligatio, ne ſuo jure utenti obſiſtant, ſed ei potius opem ferant quam illum interturbent. Natura igitur inter ſe cohærent obligatio & permiſſio, & is eſt effectus Legis, quæ etiam illis ſuadet quorum jura impugnantur, ut ſe aut vi tueantur, aut implorata Principis ope. Unde cum in Legis definitione dictum eſſet, per eam in quibuſdam licere agere vel non agere, adjecimus, ſubditis hac ratione omnino ſua jura per Legem aſſeri. *

* Vid. *ſup. Cap. VIII.* §. 3.

§. VIII.

Quæ ſit materia Legum.

Ex natura & fine Legum dignoſcitur earundem *materia*. Legibus in univerſum propoſitæ ſunt omnes humanæ actiones interiores & exteriores, ſive cogitationes, ſermones, factaque, tum quæ intra quemque definiuntur, tum quæ referuntur ad alios; Legibus, inquam, propoſitæ ſunt hæ actiones, quatenus in cujuſque privati & univerſæ ſocietatis utilitatem, ac in Principis gloriam dirigi poſſunt.

§. IX.

Quæ ſint *interiores* conditiones Legis.

Ex dictis conſequens eſt, ut Legibus inſint tres hæ conditiones: 1. Quæ res per Legem præcipiuntur debent eſſe in exequendo *poſſibiles*; is enim foret prorſus

amens

amens atque etiam immanis, qui vel ſub leviſſima pœna quemquam ad id compelleret, quod nequeat nec unquam potuerit præſtare. 2. Debet eſſe aliqua Legis *utilitas*; neque enim patitur Ratio coarctari ſubditorum libertatem, ob id unum ut coarctetur, quin ex illâ libertatis imminutione ullum commodum percipiant. 3. Denique Lex debet eſſe *juſta*, id eſt, cum ordine & rerum hominiſque natura conſentiens: hoc enim expoſcit *Regula*, quæ, ut dictum eſt, eandem habet naturam ac ipſa Lex. debet eſſe *poſſibilis*, *utilis* & *juſta*.

§. X.

Itaque Lex debet eſſe poſſibilis, utilis & juſta, quibus tribus interioribus Legis conditionibus addi poſſunt aliæ duæ quodam modo exteriores conditiones, quarum alia eſt ut *ſufficienter promulgata ſit* Lex, altera ut eadem Lex *convenienti ſanctione ſulciatur*. Quæ ſint Legis conditiones exteriores: Lex *promulganda* & *ſarcienda* eſt.

1. Neceſſe eſt innoteſcere Leges ſubditis. * Quibus enim Leges ignotæ ſunt, eorum actiones affectuſque per Leges nequeunt ordinari: Debet igitur Princeps ſolemni, nitida & perſpicua ratione ſuas Leges promulgare; tum deinde ſubditorum eſt Principis voluntatem explorare, quam ſi neſciant, in univerſum verum eſt eos ignorantiæ ſuæ non poſſe legitimam cauſam allegare. Atque hoc illud eſt quod intelligunt Jureconſulti, ſi quando ſtatuunt, Juris ignorantiam & errorem nocere, utpote

* Vid. *ſup. Cap. VIII.* §. 4.

vituperio dignum. (*a*) Alioquin nullus eſſet Legum exitus, quæ impune ſemper eluderentur eo colore quod eſſent ignotæ.

§. XI.

Denique convenienti ſanctione Lex fulcienda eſt.

Sanctio eſt *ea Legis pars qua continetur pœna in eos ſtatuta qui Legem frangent.* Pœna autem eſt *illud malum quod Legem auſuris frangere Princeps minatur, quodque reipſa Legem frangentibus infligit, ut ex inflicto malo bonum aliquod ſubſequatur, qualis eſt ſontis emendatio, atque ut hinc ſuum ſit aliis ſubditis documentum; tum denique ut hominum ſocietas in Legum reverentia cultuque ſecuritatem, quietem & felicitatem ſuam nanciſcatur.*

Cujuslibet ergo Legis ſunt duæ partes: altera quæ mandatum vel prohibitionem continet; altera quæ pœnam minatur, & poſtrema hæc dicitur *ſanctio*: Lex autem a ſanctione ſuam vim omnem mutuatur. Princeps enim ſi quid juberet vel prohiberet, nulla pœnarum adjuncta comminatione, jam ea non eſſet cum imperio lata Lex, ſed prudens ſolummodo conſilium.

Cœterum pœnæ genus diſertis verbis in Lege declarari non omnino neceſſe eſt; ſatis eſt ſi Princeps pœnam minetur, pœnæ genus

(*a*) Regula eſt Juris, quidem ignorantiam cuique nocere, *Digeſt. Lib. XXII. Tit. VI. Lege IX. pr.*

genus & modum pro ſua ſapientia definiturus. (*a*)

Adnotandum etiam eſt pravis actionibus ineſſe naturalem & neceſſariam pœnam prorſus diverſam a pœna proprie dicta quam infligit Legislator. Quæ enim pœna ex Lege eſt, ea debet continere malum ſive dolorem, ut ita dicam, *ſupervenientem*, & ex Principis voluntate partum; quoniam quæ ex pravis actionibus neceſſario conſequuntur mala, ſiquidem abſque Lege contigiſſent, Legi tribuenda non ſunt. Comminationes ergo Principis, ut ſuum momentum habeant, inſtructas oportet eſſe iis pœnis, quæ ab eo malo diverſæ ſunt, quod neceſſario pravis actionibus ineſt. (*b*)

§. XII.

Legis ſanctio, ita ut in pœnæ comminatione, poteſtne etiam in promiſſa mercede contineri?

Quæritur denique an ſanctio Legum, ita ut *in pœnæ comminatione*, poſſit etiam *in promiſſa mercede* contineri? Id quidem in univerſum ex Principis voluntate pendet, qui pro ſua prudentia alterutram rationem vel utramque ſimul poteſt uſurpare.

(*a*) „ Ex quo etiam intelligitur omni Legi „ Civili annexam eſſe pœnam, vel explicite, „ vel implicite; nam ubi pœna neque ſcripto, „ neque exemplo alicujus qui pœnas Legis jam „ tranſgreſſæ dedit, definitur; ibi ſubintelligitur pœnam *arbitrariam* eſſe, nimirum ex arbitrio pendere Legislatoris....... *Hobbes* de „ *Civ. Cap. XIV*. §. 8.

(*b*) Vid. *Locke Tent. Philoſoph. Lib. II. Cap. XXVIII.* §. 6.

re. Sed quoniam hìc potiſſimam colendarum Legum rationem inquirimus, Legis ſanctionem in pœna potius quàm in mercede conſtituendam putamus, propterea quod ii ſunt homines, ut a peccatis potius arceantur pœnæ metu, quam ad virtutem mercedibus ſtimulantur. Neque ob aliam cauſam ſolent Leges infringere, quam quod falſa utilitatis ſpecie decipiantur. Sed quo ineſcantur homines eradicandus eſt falſæ utilitatis error, præſens & ineluctabile malum intentando Legem detrectantibus. Quocirca duos ponamus Legislatores, qui Legem eandem conſtituant, ſed magnis alter propoſitis præmiis, alter graviſſimis pœnis: experientia argumento erit homines ad obſequium validius pœnis adigi quam mercedibus. Non ſemper præſtantiſſimis promiſſis inclinatur hominum voluntas, ſed ſuppliciorum acerbitate commoventur, & terrefiunt. * Sin tamen ſingularis ea ſit ſummi Domini benignitas & ſapienta, ut conjunctis pœnis & mercedibus, obſervandarum Legum duplicem cauſam proponat, jam nihil eſt quod ad promovendum obſequium ultra deſideres, & hæc eſt Legis ſanctio perfectiſſima.

* Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VI.* §. 14. *cum notis Barbeyracii.*

§. XIII.

Quinam teneantur Lege. Quid ſit *privilegium.*

TANTUM patet obligatio quantum Jus ipſum Principis; unde in univerſum dici poteſt, eos quicunque Principi ſubditi ſunt, Legis etiam obligationi ſubjacere. Verum quæ-

quælibet ſingularis Lex eos tantum obligat ſubditos quorum cauſa lata eſt Lex: quinam autem obligentur facile dignoſcitur ex ipſa cujuſque Legis natura, quæ Legislatoris voluntatem ſatis indicat.

Attamen quandoque contingit ſervanda Lege ſolutos quoſdam homines eſſe, quod vocatur *Privilegium* de quo nonnulla ſunt adnotanda.

1. Poteſt Legislator ſuam Legem abrogare, ergo & ejus vim ſuſpenſam retinere, ita ut illa non teneantur quos non vult teneri.

2. Sed alicujus Lege ſolvendi ad unum Principem poteſtas attinet.

3. Non debet autem Princeps quemquam Legibus ſolvere niſi juſtis de cauſis, & parce quidem, ſapienter, atque juxta æquitatis præſcriptum & prudentiæ. Plures enim ſi ſolveret Legibus, nullo cauſarum hominumque habito diſcrimine, vim ipſam Legum labefactaret: aut ſi conceſſam aliis gratiam, cœteris in ſimili cauſa denegaret, ex tam iniquo favore profecto ſubſequerentur odium & invidia.

§. XIV.

Si quæratur quanto tempore durent Leges, & quemadmodum aboleantur, ſtatui poſſunt hæc principia. *Quanto tempore durent Leges, & quemadmodum aboleantur.*

1. In univerſum, Legis conſtitutio quemadmodum pendet a Principis voluntate, ſic etiam quanto tempore duratura ſit in

ejuſ-

ejuſdem arbitrio poſitum eſt. Princeps enim ut in conſtituenda, ſic in retinenda Lege merito ſe vult eſſe liberum.

2. Nihilominus Lex per ſe ipſum & ex ſua natura cenſetur in perpetuum conſtituta; niſi iis verbis ſit concepta, vel illi adjuncta ea inſit, ex quibus contraria Legislatoris mens deprehendatur, ita ut probabile videatur Legem ad certum tempus conſtitutam. Lex idem eſt ac Regula; quælibet autem Regula eſt per ſe perpetua: atque in univerſum, Princeps cum Legem conſtituit eo animo non eſt ut eam velit antiquare.

3. Sed quoniam ea poteſt contingere mutatio rerum, ut Legi nequeat locus eſſe, quippe quæ jam inutilis, aut etiam evadat demnoſa, eam abrogare tum poteſt Princeps, tum etiam debet. Abſurdum prorſus quid ſtatueret, & hominum ſocietati exitioſum, qui Leges ſemel conſtitutas in perpetuum contenderet duraturas eſſe, quodcunquæ gignatur ex illis obſervatis detrimentum.

4. Duplici modo Lex antiquatur, vel *diſerte* vel *tacite*. Quoties enim conſcio Principe ſubditi per longum tempus Legi derogant; vel ſi Princeps aperte patiatur aliter de rebus ſtatui quam Lege cautum ſit, hinc apprime colligitur antiquatam Legem eſſe, quæ ſic ultro corruit, quamvis a Principe diſerte non ſit abrogata.

Generalia principia, ut videre eſt, tantum delibavimus. Porro ſingulis Legibus pro

pro ſua ſingularum indole principia hæc diverſimode adtemperanda ſunt. Sed enucleate materiam hanc evolvendi non erat hic locus.

§. XV.

1. Dividitur Lex in *Divinam* & *Humanam*, prout a *Deo* vel *hominibus* condita eſt. Quotuplicis generis ſint Leges.

2. Lex Divina duplicis eſt generis; eſt enim aut *Naturalis*, aut *Poſitiva & Divinitus patefacta*.

Lex Naturalis ea eſt quæ cum hominis natura ſtatuque ita conſentit, ut niſi ejus præſcripta ſerventur, neque privati homines, neque hominum ſocietas, vitæ conditionem rectam, decoram & utilem aſſequi valeant. Quæ Lex quoniam cum humana natura neceſſario convenit, ideo ſolius Rationis ope dignoſcitur, unde etiam dicitur *Naturalis*.

Lex Divina Positiva, vel divinitus patefacta ea eſt, quæ non in natura hominis, ſed in Dei ſolum voluntate fundatur. Nihilominus hæc Lex juſtis de cauſis conſtituta eſt, eique obſequentes multam ex illa utilitatem percipiunt.

Duplex id Legum genus videre eſt in iis Legibus quas olim Deus Judæis injunxit, in quibus quæ naturales ſunt ab eis facile ſecernuntur, quæ cum ad religioſas ceremonias, vel ad civilem Judæorum diſciplinam ſpectarent, non alio fundamento nitebantur, quam ſingulari aliqua Dei voluntate

tate ad præſentem Judaicæ gentis conditionem accommodata.

Quod ad LEGES HUMANAS attinet, ſi tantum conſiderentur prout humanæ ſunt, id eſt, originem habentes ab eo qui ſocietati præeſt, eas omnes vere dixeris *poſitivas*. Nam quamvis humanæ Leges quandoque circa Leges Naturales verſentur, non tamen hæ ab humano Principe vim habent obligandi, quippe quæ nihilominus obligarent ſecluſo Principe, utpote quæ ab ipſo Deo ortum habeant.

Has noſtras definitiones antequam abſolvamus, non abs re erit præmonere: *ſcientiam vel artem condendarum Legum, interpretandarum, & humanis actionibus accommodandarum in univerſum* JURISPRUDENTIAM *dici*.

CAPUT XI.

De humanarum actionum MORALITATE.

§. I.

Quid ſit actionum Moralitas. LEx cum ſit humanarum actionum Regula, ſi cum humanis actionibus comparetur, vel illis conſentiens deprehenditur eſſe, vel eiſdem adverſari. Quæ Legis cum noſtris actionibus conſenſio vel diſſenſio, dicitur *Moralitas*.

Moralitatis vocabulum a *moribus* derivatur. Per *mores*, ut ſuperius dictum eſt, intel-

intelligendæ ſunt liberæ actiones hominum, quatenus humanæ actiones eæ ſunt quæ dirigi poſſunt & Regulæ ſubjici. Lex vero quoniam humanarum actionum Regula eſt, ideo illarum cum Lege conſenſio vel diſſenſio nomine venit moralitatis, & quam in noſtris actionibus debemus ſequi regularum congeriem, MORALIS DISCIPLINA vocatur.

§. II.

DUPLICI ratione conſiderari poteſt actionum moralitas. 1. Vel actiones cum Legis præſcripto comparantur: 2. Vel earumdem cum Lege ſpectatur conſenſio aut diſſenſio.

Actiones ſunt 1. vel *præſcriptæ*, vel *prohibitæ* vel *permiſſæ*.

Quod ad Legis præſcriptum attinet, actiones humanæ ſunt vel PRÆSCRIPTÆ, vel PROHIBITÆ, vel PERMISSÆ.

Quoniam autem quod juſſit legitimus Princeps id debemus præſtare, vel ab eo abſtinere quod vetuit, inde eſt ut Jureconſulti quæ actiones præſcriptæ ſunt *neceſſarias* aſſerant, quæ autem prohibitæ ſunt eas dicant *impoſſibiles*. Equidem contra Legem agendi ſemper ineſt phyſica vis homini, quam vim poteſt ad arbitrium exercere. Sed eam ſi exerceat, tum Rationi adverſabitur, tum cui jam ſubditus eſt imperio ſe ſubtrahet, quod utrumque facere nequit, quandium inſunt ei Ratio & virtus, unde quæ contra Legem ſunt dicuntur actiones impoſſibiles, quæ ſententia cum in ſe æquior eſt, tum humano generi glorioſior,

quam

quam ut ei non ſuffragemus. Namque, ut apud Jureconſultos Romanos habetur. „ Quæ „ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, „ verecundiam noſtram, & (ut generaliter „ dixerim) contra bonos mores fiunt, nec „ facere nos poſſe credendum eſt. *Leg.* 15. „ *D. De condit. inſtitute.* „

§. III.

In actiones permiſſas adnotationes.

ACTIONES *permiſſæ* eæ ſunt quas annuente Lege poſſumus ad arbitrium noſtrum facere vel omittere (a) Quam in rem ſunt hæc adnotanda.

(a) Vid. *ſup. Cap.* X. §. 5.

1. Duplex diſtingui poteſt permiſſionis genus. Alia eſt *omnimoda* & *perfecta* permiſſio, per quam non ſolum nobis cujuſvis pœnæ ſecuris licet quædam facere, ſed præterea facientibus ſuum calculum aperte Legiſlator adjicit. Alia eſt permiſſio *imperfecta*, per quam ita ſinitur actio, ut non puniatur, ſed neque probetur.

2. Quidquid Naturali Lege licet, id ſemper Legiſlatori certo probatur, ita ut quidquid fit ea ratione, ſit ſemper innocuum, nec officio noſtro adverſetur. Liquet enim nec minimum quid a Deo poſſe permitti quod ex ſua natura malum ſit.

3. Secus ſe habet humanarum Legum permiſſio. Equidem ex humanæ Legis permiſſione certo colligitur quas actiones Princeps non prohibuerit, quippe quas velit eſſe impunitas; ſed non ideo Princeps eas actiones probat, quæ ſæpe contra juſtitiam fiunt, & in quibus contra officium peccatur.

§. IV.

2. Actiones ſunt bonæ vel juſtæ, malæ, vel injuſtæ, aut indifferentes.

Potest deinde conſiderari humanarum actionum moralitas, prout hæ actiones vel Legi conſentiunt vel eidem adverſantur. Hinc exiſtit actionum ea diviſio, quod aliæ ſint *bonæ* vel *juſtæ*, aliæ *malæ* vel *injuſtæ*, aliæ demum *indifferentes*.

Actio moraliter bona vel juſta ea eſt *quæ in ſe ipſa alicui Legi obliganti plane conſentanea eſt, quæque eo animo fit, & iis omnibus adjunctis, quæ Legislator ipſe in mente habuit*.

Dico 1. actionem *bonam* vel *juſtam*: nullum enim proprie diſcrimen eſt inter actionum *bonitatem* & *juſtitiam*; neque hic opus eſt ab uſitato ſermone recedere quo utrumque vocabulum promiſcue uſurpatur. Actionum bonitatem & juſtitiam Puffendorfio quidem placuit diſtinguere, quam tamen utramque ipſe ſubinde permiſcet. (*a*)

Dico 2. actionem *moraliter bonam*; quia hic non conſideratur interior & naturalis actionum bonitas, ſecundum quam in phyſicam hominum utilitatem vertuntur; ſed ſolummodo ſpectatur actionum cum Lege convenientia, unde exiſtit illarum *bonitas moralis*. Quamquam vero moralis & phyſica bonitas ſemper in iis coeant quæ naturali Lege præcipiuntur, nihilominus moralis & phyſicæ bonitatis diſcrimen habendum eſt.

(a) *Conferendum eſt quod Puffendorfius dicit De Jur. Nat. & Gent. l. 1. Cap. VII. §. 7. pr. cum eo quod dicit §. 2. ejuſd. Cap.*

§. V.

Quæ conditiones requirantur, ut actio ſit moraliter bona.

DENIQUE quo dignoſcantur neceſſariæ in univerſum conditiones, ut quis cenſeatur actionem *moraliter bonam* edidiſſe, in definitione additum eſt eam actionem debere eſſe Legi plane conſentanea, eoque animo fieri quo fieri vult ipſe Legislator. Ac primo neceſſe eſt actionem omnino & in ſingulis ſuis partibus cum Lege conſentire. Quemadmodum enim illa dicitur linea *recta*, cujus nullum punctum a ſubjecta regula ne minimum quidem divergit; ſic etiam ſtricte loquendo non poteſt actio eſſe bona, juſta vel recta, niſi omnino & in ſingulis ſuis partibus cum Lege conſentiat. Sed neque hoc ſatis eſt: debet præterea eo animo & ea ratione fieri quibus eam fieri vult Legislator. Primum illud eſt ut actio fiat adhibita rei geſtæ cognitione, nempe ſciendum eſt id quod fit, Legi eſſe conſentaneum, alioqui actio neutiquam eſſet Legislatori accepta, ſed foret prorſus inutilis. Deinde fieri debet actio *recto animo* & in *bonum finem*, nempe ut Legislatoris conſilia exequamur, & debitum præſtemus Legi obſequium: namque ſi pravus eſt agentis animus, tantum abeſt ut actio cenſeatur *bona*, ut contra agenti tanquam *mala* poſſit quandoque imputari. Demum juſtis de cauſis debemus ad agendum impelli, ſcilicet ut ſua ſtet Principi reverentia, Legibus obſequium, & officio noſtro ſatisfiat: intelligimus enim velle Legislatorem ita nos affectos eſſe.

§. VI.

§. VI.

Ex iis quæ de bonis actionibus dicta ſunt ſatis intelligitur quæ ſit actionum MALARUM vel INJUSTARUM natura. In univerſum malæ actiones eæ ſunt, *quæ vel per ſe ipſas, vel per adjuncta, cuipiam obliganti Legi, vel propoſito Legislatoris adverſantur.*

De natura actionum malarum vel injuſtarum.

Itaque generales duo ſunt injuſtarum actionum fontes. Etenim in ſe ipſa ſpectata actio injuſta eſt, quæ adverſa fronte Legis præſcriptum impugnat vel prohibitionem, qualis eſt v. g. cædes inſontis hominis, &c. Quæcumque actiones ſunt in ſe malæ, fieri nequeunt bonæ, quodcumque fuerit agentis conſilium vel ei propoſita cauſa; neque enim ad aſſequ ndum bonum finem injuſtis rationibus licet uti; atque ſic intelligenda vulgaris ſententia eſt: *Nunquam admittendum eſſe malum, ut hinc gignatur bonum.* Verum quæ ſuapte natura actio bona eſt, fieri poteſt mala, vel ob pravum agentis propoſitum, vel quia manifeſto Legislatoris voluntati adverſatur, ut ſi actio mala de cauſa, vel ob malum finem edatur. Pulchrum quidem & laudabile in cives largum & beneficum eſſe: ſed hæc ipſa largitas & beneficentia ſceleſta eſt, ſi quis eam ambitioſe exerceat, ut ſenſim oppreſſa libertate Rempublicam ſolus occupet; eſt enim hujus actionis injuſta cauſa, & injuſtus finis.

§. VII.

Omnes actiones juſtæ ſunt æqualiter juſtæ, ſed actiones injuſtæ ſunt plus minuſve injuſtæ.

OMNES actiones *juſtæ* proprie loquendo ſunt æqualiter juſtæ; namque omnes cum Lege omnino conſentiunt. Secus ſe habent actiones *injuſtæ* ſeu *malæ*; nam prout Legi plus minuſve adverſantur, ſic etiam majore vel minore lue contaminantur, in quo linearum curvarum ſimiles ſunt, quarum, prout a Regula plus minuſve detorquentur, major eſt curvitas vel minor. Igitur contra officium diverſimode peccari poteſt. Nonnunquam Lex conſulto frangitur & ex nequitia, qui ſane cumulus eſt improbitatis, eſt enim hæc Legislatoris Legumque manifeſta & deliberata contemptio; ſed interdum ex imprudentia peccatur & per incuriam, qui potius error culpave dicenda eſt quam crimen. Sui ſunt etiam incuriæ gradus: poteſt enim eſſe major minorve negligentia, quæ idcirco plus minuſve damnanda eſt. Quæ vero ad mathematicorum amuſſim reduci nequeunt, in iis ſaltem *extrema* duo & *medium* diſtingui poſſunt, unde Jureconſulti triplex diſtinguunt culpæ vel negligentiæ genus; alia eſt *lata*, alia *levis*, alia *leviſſima*. Et hæc ſatis eſt indicaſſe, quorum ſuo loco traditur explicatio, cum ſingulæ quæſtiones diſceptantur.

§. VIII.

§. VIII.

In quo potiſſimum ſita ſit actionum injuſtitia.

Cæterum diligenter advertendum eſt in eo præcipue ſitam eſſe injuſtarum actionum naturam, quod præſcripto Legis vel Legislatoris conſilio prorſus adverſantur, unde in ſua materia vel forma vitio interno illæ actiones laborant. Quamvis enim neceſſe ſit juxta ſuperiorem noſtram definitionem, actionis naturam, modum, & adjuncta Legi omnino conſentanea, eſſe ut hæc actio moraliter bona ſit, ne tamen hinc colligas eam malam eſſe vel ſceleſtam, ſi qua deſit dictarum conditionum. Etenim actio ut vere mala ſit, haud ſatis eſt ſi aliquantulum diſcrepet a Lege, nec ei tamen penitus adverſetur. Equidem quæ actio penitus cum Lege non conſentit, vere bona vel juſta non cenſebitur, ſed nec erit mala, quippe quę tunc ſit indifferens. Exempli cauſa, ſi quis actionem edidit cauſæ Legiſque neſcius, vel ſi agendi cauſam habuit innocuam quidem, ſed ab ea cauſa diverſam quam ſibi propoſitam habet Lex, ejus hominis actio nec *bona* nec *mala* reputabitur, ſed erit mere *indifferens*.

§. IX.

De Actionibus Indifferentibus.

Itaque dantur actiones indifferentes, quæ inter actiones juſtas injuſtaſque, ut ita dicam, mediæ ſunt. Actiones autem indifferentes eæ ſunt, *quæ nec præ-*

ſcriptæ nec prohibitæ, ſed quas agere vel non agere cujuſvis arbitrio Lex indulſit. Nimirum ejuſmodi actiones ad Legem *permittentem* referuntur, non vero *obligantem*.

Dari quidem actiones indifferentes nemo ſanus inficiabitur. Nam quam multa ſunt quibus ideo non tenemur, quia nulla divina vel humana Lege vel præſcripta vel prohibita ſunt, & quæ idcirco pro arbitrio noſtro poſſumus agere vel omittere. Quapropter ſcholaſticorum interpretum inſulſa ſubtilitas eſt nullam dicentium indifferentem poſſe actionem eſſe, niſi, inquiunt, mentis ope actio abſtrahatur ſecludaturque, tum a quovis homine actionem edente, tum a tempore, loco, ipſoque actionis peragendæ modo, aut peragentis animo, ac demum a ſingulis actionum adjunctis. Verum hujuſcemodi actio ab omnibus adjunctis ſecluſa merum figmentum eſt. Attamen ſi quædam ſint indifferentes actiones: quales ſine controverſia exiſtunt, neceſſe eſt eas indifferentes eſſe in iis ipſis quæ adjuncta ſunt homini, tempori, loco, &c.

§. X.

Bonarum & malarum actionum diviſio.

ACTIONES bonæ vel malæ prout circa diverſas res verſantur vario etiam nomine veniunt. Bonæ quæ ad Deum ſpectant actiones nomine PIETATIS inſigniuntur. Quæ ad nos ipſos pertinent, eæ dicuntur vel SAPIENTIA, vel TEMPERANTIA, vel MODERATIO. Quæ referuntur ad cæ-

teros homines, JUSTITIA vel BENEVOLENTIA nuncupantur. Actionum diviſionem illam obiter attigimus rurſus excutiendam cum de Lege Naturali diſputabimus. Malarum actionum eadem diviſio eſt; pertinent enim ad IMPIETATEM, vel INTEMPERANTIAM, vel INJUSTITIAM.

§. XI.

De Juſtitia ejuſque diverſis ſpeciebus.

PLURES proponi ſolent juſtitiæ diviſiones de quibus ut & nos aliquid dicamus, ſequentia juvat advertere.

1. In univerſum dividi poteſt juſtitia in *perfectam* & *ſtrictam*, & *imperfectam* vel *non ſtrictam*. Perfecta & ſtricta juſtitia eſt, *qua illud aliis præſtamus quidquid ipſis perfecto & ſtricto jure debetur*; ſeu ad quod præſtandum jure poſſunt etiam per vim nos adigere, niſi id præſtemus volentes, quo ſtricto ſenſu plerumque Juſtitiæ vocabulum uſurpatur. Juſtitia imperfecta & non ſtricta ea eſt, *qua in alios hæc officia exequimur quæ debentur imperfecto & non ſtricto jure*, ad quæ præſtanda non poſſumus per vim adigi, ſed in quibus Lex voluit ſuum eſſe probitatis & conſcientiæ arbitrium (a). Cujus generis officia plerumque innoteſcunt nomine *Humanitatis*, *Charitatis*, *Benevolentiæ*, opponunturque ſtricte & proprie dictæ juſtitiæ. Noſtra juſtitiæ diviſio eadem eſt ac GROTII in Juſtitiam *expletricem* & *attributivam*.

(a) Vid. *ſup. Cap. VII.* §. 8.

2. Juſtitia ſtricta iterum poteſt dividi in

eam quæ inter *æquales*, & eam quæ inter *inæquales* exercetur. (1) Juſtitiæ inter æquales totidem genera ſunt quot officia recenſentur ad quæ præſtanda quivis homo ſtricto jure poteſt quemvis alium hominem compellere, vel civis ejuſdem Reipublicæ civem. Juſtitiæ vero inter inæquales totidem ſunt genera quot ſunt hominum ſocietates in quibus alii præſunt, alii obſequuntur. (a)

3. Aliæ ſunt juſtitiæ diviſiones, ſed eæ quidem parum accuratæ, nec ita magnæ utilitatis. Exempli cauſa PUFFENDORFIUS juſtitiam dividit in *univerſalem* & *particularem*, quæ diviſio in eo peccare videtur, quod alterum diviſionis membrum in altero contineatur. (b) Imperfecta etiam eſt Juſtitiæ particularis ſubdiviſio in *diſtributivam* & *permutativam*; hac enim diviſione ea ſolum includuntur quæ ex pacto debentur; quamquam multa ſunt quæ quis ſtricto jure poteſt ab alio exigere etiamſi nihil inter utrumque convenerit, nec interceſſerit ulla pactio. Quidquid porro in hoc argumentum GROTIUS & PUFFENDORFIUS ſcripſere, de eo univerſe adverti poteſt, quod uterque ſcriptor ipſi ſibi tricas nexuerint, cum in variis illis juſtitiæ generibus accurate & lucide definiendis laborarent. Igitur quæ inſtar Ariſtotelicarum diviſionum ſolent in ſcholis diviſiones uſurpari, nos eas omnes miſſas faciamus ſu-

perio-

(a) Vid. *Buddæum Elementa Philoſ. pract.* Part. II. Cap. II. §. 46.

(b) Vid. *De Jur. Nat. & Gent.* Lib. I. Cap. VII. §. 8. Et *Offic. Hom. & Civ* Lib. I. Cap. II. §. 14. *cum notis Barbeyracii.*

(1) Quæ diviſio eadem fere eſt ac Grotii in Jus *Rectorium*, & *æquatorium*.

perioribus noſtris definitionibus adhæſuri: Nec enim alia de cauſa ſolitas illas ſcholaſticorum diviſiones hìc retulimus, quam ut vulgari opinioni ſatisfieret. (*a*)

§. XII.

Actionum inter ſe comparatarum quæ fiat *computatio*.

PRÆTER illam qualitatem, quæ dici poteſt moralium actionum *qualitas*, in iis etiam quædam ſpectatur *quantitas*, ex qua fit ut bonæ actiones cum bonis, & malæ cum malis conferantur, atque ex utriſque ſic inter ſe collatis ſtatuatur quædam *computatio*, cujus ope in quavis actione dignoſcitur quid plus inſit boni vel mali. Cujus habendæ computationis hìc ſaltem indigitanda ratio eſt.

1. Spectari poteſt actionum *objecta res*: res autem quanto eſt ſublimior, tanto etiam præſtantior eſt quæ circa illam verſatur actio, & contra peccatum ſceleſtius.

2. *Conſideranda venit agentis qualitas & conditio*. Sic quod ab inimico beneficium confertur, præſtitum ab amico beneficium ſuperat: contra vero gravior & fœdior eſt parta ex amico injuria quam quæ ab inimico.

3. *Natura ipſa expenditur actionum*, prout ſunt plus minuſve difficiles. Quo enim actio, modo cœtera paria ſint, difficilior eſt,

(a) Vid. *Grotium de Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I.* §. 8. & *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VII.* §§. 9. 10. 11. 12. *cum notis Barbeyracii*.

eſt, eo eſt etiam pulchrior & laudabilior. Sed contra quo facilius erat pravum facinus non admittere, eo facinus illud & magis damnandum & atrocius eſt, præ alio ejuſdem generis facinore.

4. *Advertuntur etiam actionis exitus*. Tanto melior vel pejor actio eſt, quanto ejus exitus intelligi poterant utiliores fore vel nocentiores.

5. Quibus omnibus addi poſſunt adjuncta temporis, loci, &c. ex quibus bonæ vel malæ actiones fieri poſſunt aliæ aliis præſtantiores vel deteriores. Excerpta ſunt hæc ex BARBEYRACII in PUFFENDORFIUM adnotatione. (*a*)

§. XIII.

Ita ut de actionibus, ſic & de hominibus ipſis moralitas dicitur.

ADVERTENDUM tandem eſt ita ut actionibus, ſic & hominibus ipſis moralitatem tribui; quemadmodum enim actiones dicuntur bonæ vel malæ, juſtæ vel injuſtæ, ſic etiam homines boni vel mali, probi vel improbi dicuntur.

Homo *probus* eſt *ille qui convenienter Legibus & officio ſe gerere conſuevit*. *Improbus* autem *cujus eſt contraria conſuetudo*.

Itaque *virtus* ſita eſt *in conſuetudine convenienter Legibus ſe gerendi*, *vitium* autem *in contraria conſuetudine*.

Virtutem & vitium dixi conſuetudines eſſe vel *habitus*. Quocirca ut probitas ab impro-

(a) *Jus Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VIII.* §. 5 *not.* 1.

improbitate recte ſecernatur, haud ſatis eſt ſingulares quaſdam & fluxas actiones expendere, ſed hominis in univerſum vita, ejuſque ſolita agendi ratio expendenda eſt. Improborum igitur numero adſcribendi non ſunt qui præ imbecillitate aut alia de cauſa in aliquod quandoque malum facinus prolapſi ſunt; ut nec inter probos ii ſunt recenſendi, qui data forte quadam occaſione rectum aliquod facinus ediderunt. Apud homines non invenias abſolutam ex omni parte virtutem, ſed ea eſt humanæ naturæ imbecillitas, ut non ſint homines ſecundum ſtricti juris acerbitatem judicandi. Probum hominem fatemur multa injuſta poſſe facere ex imbecillitate, ſed etiam evincit Ratio eum qui pluribus vitiis aſſueverit nonnunquam poſſe res aliquot juſtas facere, quia juſtæ ſunt, & juſtas eſſe agnoſcit. Homines nec ſtatuamus nequiores quam ſunt, ſed qua diligentia probitatis virtutiſque gradus recenſentur, pari etiam cura nequitiæ & improbitatis gradus ſecernantur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

JURIS

JURIS NATURALIS
ELEMENTA.
PARS SECUNDA.

DE
LEGIBUS NATURALIBUS

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit LEX NATURALIS. *Datur* LE
NATURALIS. *Conſiderantur* I. EXI
STENTIA DEI, *ejuſque in nos* AUCTO
RITAS.

§. I.

Hujus alterius partis argumentum.

JURIS in univerſum ſpecta
principia ſtatuimus, quæ ja
Naturali Juri peculiariter a
commodanda ſunt. Ac pr
mum quæritur utrum hom
ita natura comparatus ſit,
reipſa proprie dictis Legibus ſubjaceat
Tum quæ ſint Leges illæ? Quis eas tul
rit? Qua ratione dignoſci queant? Qu
mobrem colendæ ſint? Ex his neglecti
quid mali, vel ex eiſdem ſervatis qui
com-

commodi percipiatur? Eæ ſunt magni ſane momenti in hac altera parte nobis expendendæ quæſtiones.

§. II.

Quid ſit *Jus Naturale*, *Lex Naturalis*, & *Juriſprudentia Naturalis*.

SUNT voces primum definiendæ. Per LEGEM NATURALEM intelligitur *Lex quam omnibus & ſingulis hominibus Deus impoſuit, & cujus cognitionem ſolius Rationis ope poſſunt aſſequi ſuam naturam conditionemque attente conſiderando.*

JUS NATURALE eſt *Syſtema* vel *congeries omnium Legum Naturalium.*

Denique JURISPRUDENTIA NATURALIS eſt *ars aſſequendi Legum naturalium cognitionem, eaſdem explicandi, & humanis actionibus accomodandi.*

§. III.

An ſint Leges Naturales?

AT vero danturne reipſa Leges Naturales? Hæc enim occurrit prima quæſtio quæ ante alias excutienda eſt. Quo autem accurata ſit noſtra diſputatio, eam ordiri neceſſe eſt a NATURALI THEOLOGIA, quæ Juris Naturalis primum eſt & veriſſimum fundamentum. Cum enim quæritur, *an ſint Leges Naturales*, ſolvi nequit ea quæſtio, niſi prius tria hæc expenſa ſint. 1. Eſt-ne Deus? 2. Ex eo quod ſit Deus, ſequiturne quod per ſe jus habeat Leges hominibus imponendi? Ac 3. denique Jus illud ſibi competens Deus-ne jam nunc exercet

latis

§. VII.

Omnes actiones juſtæ ſunt æqualiter juſtæ, ſed actiones injuſtæ ſunt plus minuſve injuſtæ.

OMNES actiones *juſtæ* proprie loquendo ſunt æqualiter juſtæ; namque omnes cum Lege omnino conſentiunt. Secus ſe habent actiones *injuſtæ* ſeu *malæ*; nam prout Legi plus minuſve adverſantur, ſic etiam majore vel minore lue contaminantur, in quo linearum curvarum ſimiles ſunt, quarum, prout a Regula plus minuſve detorquentur, major eſt curvitas vel minor. Igitur contra officium diverſimode peccari poteſt. Nonnunquam Lex conſulto frangitur & ex nequitia, qui ſane cumulus eſt improbitatis, eſt enim hæc Legislatoris Legumque manifeſta & deliberata contemptio; ſed interdum ex imprudentia peccatur & per incuriam, qui potius error culpave dicenda eſt quam crimen. Sui ſunt etiam incuriæ gradus: poteſt enim eſſe major minorve negligentia, quæ idcirco plus minuſve damnanda eſt. Quæ vero ad mathematicorum amuſſim reduci nequeunt, in iis ſaltem *extrema* duo & *medium* diſtingui poſſunt, unde Jureconſulti triplex diſtinguunt culpæ vel negligentiæ genus; alia eſt *lata*, alia *levis*, alia *leviſſima*. Et hæc ſatis eſt indicaſſe, quorum ſuo loco traditur explicatio, cum ſingulæ quæſtiones diſceptantur.

§. VIII.

§. VIII.

In quo potiſſimum ſita ſit actionum injuſtitia.

Cæterum diligenter advertendum eſt in eo præcipue ſitam eſſe injuſtarum actionum naturam, quod præſcripto Legis vel Legislatoris conſilio prorſus adverſantur, unde in ſua materia vel forma vitio interno illæ actiones laborant. Quamvis enim neceſſe ſit juxta ſuperiorem noſtram definitionem, actionis naturam, modum, & adjuncta Legi omnino conſentanea, eſſe ut hæc actio moraliter bona ſit, ne tamen hinc colligas eam malam eſſe vel ſceleſtam, ſi qua deſit dictarum conditionum. Etenim actio ut vere mala ſit, haud ſatis eſt ſi aliquantulum diſcrepet a Lege, nec ei tamen penitus adverſetur. Equidem quæ actio penitus cum Lege non conſentit, vere bona vel juſta non cenſebitur, ſed nec erit mala, quippe quę tunc ſit indifferens. Exempli cauſa, ſi quis actionem edidit cauſæ Legiſque neſcius, vel ſi agendi cauſam habuit innocuam quidem, ſed ab ea cauſa diverſam quam ſibi propoſitam habet Lex, ejus hominis actio nec *bona* nec *mala* reputabitur, ſed erit mere *indifferens*.

§. IX.

De Actionibus Indifferentibus.

Itaque dantur actiones indifferentes, quæ inter actiones juſtas injuſtaſque, ut ita dicam, mediæ ſunt. Actiones autem indifferentes eæ ſunt, *quæ nec præ-*

ſcriptæ nec prohibitæ, ſed quas agere vel non agere cujuſvis arbitrio Lex indulſit. Nimirum ejuſmodi actiones ad Legem *permittentem* referuntur, non vero *obligantem*.

Dari quidem actiones indifferentes nemo ſanus inficiabitur. Nam quam multa ſunt quibus ideo non tenemur, quia nulla divina vel humana Lege vel præſcripta vel prohibita ſunt, & quæ idcirco pro arbitrio noſtro poſſumus agere vel omittere. Quapropter ſcholaſticorum interpretum inſulſa ſubtilitas eſt nullam dicentium indifferentem poſſe actionem eſſe, niſi, inquiunt, mentis ope actio abſtrahatur ſecludaturque, tum a quovis homine actionem edente, tum a tempore, loco, ipſoque actionis peragendæ modo, aut peragentis animo, ac demum a ſingulis actionum adjunctis. Verum hujuſcemodi actio ab omnibus adjunctis ſecluſa merum figmentum eſt. Attamen ſi quædam ſint indifferentes actiones: quales ſine controverſia exiſtunt, neceſſe eſt eas indifferentes eſſe in iis ipſis quæ adjuncta ſunt homini, tempori, loco, &c.

§. X.

Bonarum & malarum actionum diviſio.

ACTIONES bonæ vel malæ prout circa diverſas res verſantur vario etiam nomine veniunt. Bonæ quæ ad Deum ſpectant actiones nomine PIETATIS inſigniuntur. Quæ ad nos ipſos pertinent, eæ dicuntur vel SAPIENTIA, vel TEMPERANTIA, vel MODERATIO. Quæ referuntur ad cæteros

teros homines, JUSTITIA vel BENEVOLENTIA nuncupantur. Actionum diviſionem illam obiter attigimus rurſus excutiendam cum de Lege Naturali diſputabimus. Malarum actionum eadem diviſio eſt; pertinent enim ad IMPIETATEM, vel INTEMPERANTIAM, vel INJUSTITIAM.

§. XI.

De Juſtitia ejuſque diverſis ſpeciebus.

PLURES proponi ſolent juſtitiæ diviſiones de quibus ut & nos aliquid dicamus, ſequentia juvat advertere.

1. In univerſum dividi poteſt juſtitia in *perfectam* & *ſtrictam*, & *imperfectam* vel *non ſtrictam*. Perfecta & ſtricta juſtitia eſt, *qua illud aliis præſtamus quidquid ipſis perfecto & ſtricto jure debetur*, ſeu ad quod præſtandum jure poſſunt etiam per vim nos adigere, niſi id præſtemus volentes, quo ſtricto ſenſu plerumque Juſtitiæ vocabulum uſurpatur. Juſtitia imperfecta & non ſtricta ea eſt, *qua in alios hæc officia exequimur quæ debentur imperfecto & non ſtricto jure*, ad quæ præſtanda non poſſumus per vim adigi, ſed in quibus Lex voluit ſuum eſſe probitatis & conſcientiæ arbitrium (a). Cujus generis officia plerumque innoteſcunt nomine *Humanitatis*, *Charitatis*, *Benevolentiæ*, opponunturque ſtricte & proprie dictæ juſtitiæ. Noſtra juſtitiæ diviſio eadem eſt ac GROTII in Juſtitiam *expletricem* & *attributivam*.

(a) Vid. *ſup. Cap. VII.* §. 8.

2. Juſtitia ſtricta iterum poteſt dividi in

eam quæ inter *æquales*, & eam quæ inter *inæquales* exercetur. (1) Juſtitiæ inter æquales totidem genera ſunt quot officia recenſentur ad quæ præſtanda quivis homo ſtricto jure poteſt quemvis alium hominem compellere, vel civis ejuſdem Reipublicæ civem. Juſtitiæ vero inter inæquales totidem ſunt genera quot ſunt hominum ſocietates in quibus alii præſunt, alii obſequuntur. (a)

3. Aliæ ſunt juſtitiæ diviſiones, ſed eæ quidem parum accuratæ, nec ita magnæ utilitatis. Exempli cauſa PUFFENDORFIUS juſtitiam dividit in *univerſalem* & *particularem*, quæ diviſio in eo peccare videtur, quod alterum diviſionis membrum in altero contineatur. (b) Imperfecta etiam eſt Juſtitiæ particularis ſubdiviſio in *diſtributivam* & *permutativam*; hac enim diviſione ea ſolum includuntur quæ ex pacto debentur; quamquam multa ſunt quæ quis ſtricto jure poteſt ab alio exigere etiamſi nihil inter utrumque convenerit, nec intercesſerit ulla pactio. Quidquid porro in hoc argumentum GROTIUS & PUFFENDORFIUS ſcripſere, de eo univerſe adverti poteſt, quod uterque ſcriptor ipſi ſibi tricas nexuerint, cum in variis illis juſtitiæ generibus accurate & lucide definiendis laborarent. Igitur quæ inſtar Ariſtotelicarum diviſionum ſolent in ſcholis diviſiones uſurpari, nos eas omnes miſſas faciamus ſuperio-

(a) Vid. *Buddeum Elementa Philoſ. pract. Part. II. Cap. II.* §. 46.

(b) Vid. *De Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VII.* §. 8. Et *Offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. II.* §. 14. *cum notis Barbeyracii.*

(1) Quæ diviſio eadem fere eſt ac Grotii in Jus *Rectorium*, & *æquatorium*.

perioribus noſtris definitionibus adhæſuri: Nec enim alia de cauſa ſolitas illas ſcholaſticorum diviſiones hìc retulimus, quam ut vulgari opinioni ſatisfieret. (*a*)

§. XII.

Actionum inter ſe comparatarum quæ fiat *computatio*.

PRÆTER illam qualitatem, quæ dici poteſt moralium actionum *qualitas*, in iis etiam quædam ſpectatur *quantitas*, ex qua fit ut bonæ actiones cum bonis, & malæ cum malis conferantur, atque ex utriſque ſic inter ſe collatis ſtatuatur quædam *computatio*, cujus ope in quavis actione dignoſcitur quid plus inſit boni vel mali. Cujus habendæ computationis hìc ſaltem indigitanda ratio eſt.

1. Spectari poteſt actionum *objecta res*: res autem quanto eſt ſublimior, tanto etiam præſtantior eſt quæ circa illam verſatur actio, & contra peccatum ſceleſtius.

2. *Conſideranda venit agentis qualitas & conditio*. Sic quod ab inimico beneficium confertur, præſtitum ab amico beneficium ſuperat: contra vero gravior & fœdior eſt parta ex amico injuria quam quæ ab inimico.

3. *Natura ipſa expenditur actionum*, prout ſunt plus minuſve difficiles. Quo enim actio, modo cœtera paria ſint, difficilior eſt,

(a) Vid. *Grotium de Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I.* §. 8. & *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VII.* §§. 9. 10. 11. 12. *cum notis Barbeyracii*.

eſt, eo eſt etiam pulchrior & laudabilior. Sed contra quo facilius erat pravum facinus non admittere, eo facinus illud & magis damnandum & atrocius eſt, præ alio ejuſdem generis facinore.

4. *Advertuntur etiam actionis exitus.* Tanto melior vel pejor actio eſt, quanto ejus exitus intelligi poterant utiliores fore vel nocentiores.

5. Quibus omnibus addi poſſunt adjuncta temporis, loci, &c. ex quibus bonæ vel malæ actiones fieri poſſunt aliæ aliis præſtantiores vel deteriores. Excerpta ſunt hæc ex BARBEYRACII in PUFFENDORFIUM adnotatione. (*a*)

§. XIII.

Ita ut de actionibus, ſic & de hominibus ipſis moralitas dicitur.

ADVERTENDUM tandem eſt ita ut actionibus, ſic & hominibus ipſis moralitatem tribui; quemadmodum enim actiones dicuntur bonæ vel malæ, juſtæ vel injuſtæ, ſic etiam homines boni vel mali, probi vel improbi dicuntur.

Homo *probus* eſt *ille qui convenienter Legibus & officio ſe gerere conſuevit.* *Improbus* autem *cujus eſt contraria conſuetudo.*

Itaque *virtus* ſita eſt *in conſuetudine convenienter Legibus ſe gerendi*, *vitium* autem *in contraria conſuetudine.*

Virtutem & vitium dixi conſuetudines eſſe vel *habitus*. Quocirca ut probitas ab impro-

(a) *Jus Nat. & Gent. Lib. I. Cap. VIII. §. 5 not. 1.*

improbitate recte ſecernatur, haud ſatis eſt ſingulares quaſdam & fluxas actiones expendere, ſed hominis in univerſum vita, ejuſque ſolita agendi ratio expendenda eſt. Improborum igitur numero adſcribendi non ſunt qui præ imbecillitate aut alia de cauſa in aliquod quandoque malum facinus prolapſi ſunt; ut nec inter probos ii ſunt recenſendi, qui data forte quadam occaſione rectum aliquod facinus ediderunt. Apud homines non invenias abſolutam ex omni parte virtutem, ſed ea eſt humanæ naturæ imbecillitas, ut non ſint homines ſecundum ſtricti juris acerbitatem judicandi. Probum hominem fatemur multa injuſta poſſe facere ex imbecillitate, ſed etiam evincit Ratio eum qui pluribus vitiis aſſueverit nonnunquam poſſe res aliquot juſtas facere, quia juſtæ ſunt, & juſtas eſſe agnoſcit. Homines nec ſtatuamus nequiores quam ſunt, ſed qua diligentia probitatis virtutiſque gradus recenſentur, pari etiam cura nequitiæ & improbitatis gradus ſecernantur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

JURIS

JURIS NATURALIS ELEMENTA.

PARS SECUNDA.

DE LEGIBUS NATURALIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Lex Naturalis. *Datur* Lex Naturalis. *Conſiderantur* 1. Existentia Dei, *ejuſque in nos* Auctoritas.

§. I.

Hujus alterius partis argumentum.

Juris in univerſum ſpectati principia ſtatuimus, quæ jam Naturali Juri peculiariter accommodanda ſunt. Ac primum quæritur utrum homo ita natura comparatus ſit, ut reipſa proprie dictis Legibus ſubjaceat? Tum quæ ſint Leges illæ? Quis eas tulerit? Qua ratione dignoſci queant? Quamobrem colendæ ſint? Ex his neglectis quid mali, vel ex eiſdem ſervatis quid com-

commodi percipiatur? Eæ ſunt magni ſane momenti in hac altera parte nobis expendendæ quæſtiones.

§. II.

Sunt voces primum definiendæ. Per Legem Naturalem intelligitur *Lex quam omnibus & ſingulis hominibus Deus impoſuit, & cujus cognitionem ſolius Rationis ope poſſunt aſſequi ſuam naturam conditionemque attente conſiderando.*

Quid ſit Jus Naturale, Lex Naturalis, & Juriſprudentia Naturalis.

Jus Naturale eſt *Syſtema* vel *congeries omnium Legum Naturalium.*

Denique Jurisprudentia Naturalis eſt *ars aſſequendi Legum naturalium cognitionem, eaſdem explicandi, & humanis actionibus accomodandi.*

§. III.

At vero danturne reipſa Leges Naturales? Hæc enim occurrit prima quæſtio quæ ante alias excutienda eſt. Quo autem accurata ſit noſtra diſputatio, eam ordiri neceſſe eſt a Naturali Theologia, quæ Juris Naturalis primum eſt & veriſſimum fundamentum. Cum enim quæritur, *an ſint Leges Naturales*, ſolvi nequit ea quæſtio, niſi prius tria hæc expenſa ſint. 1. Eſt-ne Deus? 2. Ex eo quod ſit Deus, ſequiturne quod per ſe jus habeat Leges hominibus imponendi? Ac 3. denique Jus illud ſibi competens Deus-ne jam nunc exercet

An ſint Leges Naturales?

latis

ſatis Legibus quibus noſtras actiones ac commodari jubeat? His tribus quæſtionibus hujus capitis ſequentiſque argumentum conſtabit.

§. IV.

De exiſtentia Dei.

Existentia Dei, id eſt, *Principis naturæ intelligentis, per ſe exiſtentis, a qua tanquam a prima effoctrice cauſa pendent cætera omnia, quæque ipſa a nulla cauſa pendet*, hujus, inquam, naturæ exiſtentia ita vera eſt ut primo intuitu perſpiciatur. Cujus veritatis ſatis eſt attendiſſe dilucida & tanquam ſub ſenſus cadentia argumenta, quæ catervatim undequaque proſiliunt.

Cauſarum inter ſe is nexus, ea eſt ordinatio, ut in aliqua prima cauſa neceſſario conſiſtendum ſit: tum neceſſe habemus primum motorem fateri, & totius orbis ita mirabiles ſunt ordo & ſtructura, ut iis omnibus exiſtentia Dei comprobetur velut totidem evidentiſſimis argumentis quæ poteſt quiſquis facillime capere: ſed hæc paucis verbis explanemus.

§. V.

1. *Argumentum*. Neceſſaria eſt natura per ſe exiſtens & intelligens.

Existentes hodie res innumeras cernimus, quarum congeries *totius orbis* nomine appellatur. Neceſſe igitur eſt aliquid exiſtere quod omni ævo extiterit. Nam ſi tempus ponas quo nihil extiterit, evidens

eſt

eſt nihil unquam extiturum fuiſſe, ſiquidem quidquid incipit eſſe, ſuæ exiſtentiæ debet aliquam cauſam habere; namque ex nihilo nihil fit. Itaque fatendum eſt aliquam eſſe naturam æternam. Ea porro natura æterna, quæcumque illa ſit, per ſe ipſam & neceſſario exiſtit, ſuam enim originem a nulla cauſa mutuatur: ejuſmodi autem naturam æternam non exiſtere, hoc quidem ſecum pugnat.

Præterea hæc natura æterna, quæ per ſe & neceſſario exiſtit, intellectu & ratione prædita eſt. Eidem enim ratiocinandi methodo inſiſtamus, & fingamus tempus quo non aliæ quam inanimæ naturæ fuerint, quo poſito verum eſt naturas intelligentes, quales hodie videre eſt, exituras nunquam fuiſſe; quoniam ex inanima & cœca cauſa non magis poteſt intelligentia quædam gigni, quam ex nihilo aliquid procreari. Igitur ſemper extitit mentium parens, intelligentia æterna, cujuſvis alius naturæ intelligentis fons & origo. Cujus noſtri argumenti manet ſemper integra veritas, quæcumque de mentis natura & origine ſententia proponatur. Imo finge quæ pars noſtri cogitat materiam eſſe certa ratione motam vel adtemperatam: quæram ego ſemper, nam & hoc ſciendum eſt, unde materiæ advenerit ſuus ille motus? materiæ enim ut materia ſit non eſt neceſſarius motus. Quæram ego, nam & hoc ſciendum eſt, unde materiæ advenerit mirabilis ille contextus, quem ipſa ſibi nequit affingere? Quæ

Quæram ego ſemper a quo corpus humanum ita contextum ſit, ut ex ea textura eliciatur mirabilis adeo res, Intelligentia, quæ res expendit objectas, ipſa corpora ſuo ſubjicit imperio, cœlos metitur terramque, futura proſpicit & præterita recordatur. Certe non ab alia quam ab intelligente cauſa potuit effingi tam mirificum opus. Quapropter omnino neceſſe eſt ut primam cauſam eſſe fateamur, eamque intelligentem & æternam.

§. VI.

Æterna & intelligens cauſa extra hunc orbē inquirenda eſt.

INTELLIGENTIA æterna, quæ in ſe ipſa ſuæ exiſtentiæ ſuarumque omnium facultatum principium fontemque includit, nec mutari poteſt, nec deleri, nec circumſcribi, nec alii ſubjici. Quinimo ſic infinite debet eſſe perfecta, ut facile queat rerum omnium eſſe una & prima cauſa, quin alia cauſa inquirenda ſit.

Verum hæc intelligentis & æternæ naturæ dos num ad ipſam materiam pertinet, num ad univerſum orbem, num ad partem ejus aliquam?

Huic certe figmento mens noſtra quanta eſt, adverſatur. Materia neceſſario & per ſe ipſam non intelligit, nec fieri poteſt intelligens niſi a cauſa ſumme intelligente certo modo adtemperetur. Hęc autem cauſa ſumme intelligens ab alia cauſa non poteſt ipſa ſic adtemperari ut intelligat: hęc ergo prima & ſumme intelligens cauſa neceſ-

ſario

ſario & per ſe ipſam intelligit, eſt ergo expers materiæ. Præterea ſingulæ orbis univerſi partes ſunt mutabiles aliæque pendentes ab aliis: ſed ſimile quid de cauſa tum infinita tum perfectiſſima nequit concipi.

Quod ad homines ſpectat, quam ſint imbecilles ſubditique, multo etiam facilius quam in cæteris rebus creatis deprehenditur. Homines cum a ſe ipſis vitam non hauſerint, nec aliis in modum effectricis cauſæ vitam poſſunt impertiri: nec enim ſciunt quæ vere ſit humani corporis ſtructura, quis vitæ fons, vel quomodo quibuſdam motibus quædam ſint adnexæ cogitationes, vel quo artificio voluntas ſuum imperium exerat. Itaque extra hominum ſeriem, quantumvis ponatur longiſſima, quæranda eſt humani generis prima & efficiens cauſa; ſic etiam ſingularum orbis partium quærenda ſimiliter cauſa eſt extra hunc univerſum orbem materia conflatum ſenſuſque noſtros afficientem.

§. VII.

2. Argumentum Primi Motoris neceſſitas.

Primum nobis probandæ noſtræ quæſtionis argumentum fuit natura æterna; intelligens, experſque materiæ. Jam alterum aggredimur argumentum ex quo Deus lucidiori modo retegitur, & ad cujuſque intellectum accommodatiore: hoc autem alterum argumentum deducitur ex eo quem intuemur orbem, in quo motum ordinemque dignoſcimus quem nec ipſa ſibi materia potuit indere, nec indidit.

Motus ſeu vis activa non eſt neceſſaria corporis qualitas: extenſio ſuapte natura aptior eſt affici quam efficere; recte quieſcens intelligitur, quæ ſi moveatur, intelligitur quoque poſſe ſuum motum amittere quin ipſa intereat; motus enim materiæ ſtatus fluxus & fugitivus eſt, & in aliud corpus ex alio corpore tranſiens. Primam igitur corporum impulſionem neceſſe eſt a cauſa extranea proficiſci, & ut recte dixit Ariſtoteles, primus corporum motor ipſe nec mobilis nec corpus debet eſſe. Cui Ariſtotelis ſententiæ ſuum calculum ſapienter addidit Hobbesius. „ Agnitio, inquit, „ unici, æterni, infiniti, omnipotentis „ Dei, ab inveſtigatione cauſarum, vir„ tutum, operationumque corporum natura„ lium, quam a cura futuri temporis faci„ lius derivari potuit. Nam qui ab effe„ ctu quocumque, quem viderit, ad cau„ ſam ejus proximam ratiocinaretur, & in„ de ad illius cauſæ cauſam proximam pro„ cederet, & in cauſarum deinceps ordi„ nem profunde ſe immergeret, inveniret „ tandem (cum veterum Philoſophorum ſa„ nioribus) unicum eſſe primum moto„ rem, id eſt, unicam & æternam rerum „ omnium Cauſam, quam appellant omnes „ Deum. *Leviathan. Cap. XII. pag.* 55. 56.

§. VIII.

3. *Argumentum*, Structu- Sed quæ materia ex ſe ipſa non potuit moveri, quanto minus eo ordine & neceſ-

ſario

ſrio impulſu ſe moviſſet, ut hinc qualem cernimus orbis eliceretur. Nonne merum extitiſſet chaos?

ra, ordo, & pulchritudo orbis.

Enimvero circumſpiciatur univerſus orbis: ubique primo intuitu prodit ſe miranda pulchritudo, mirandus ordo, miranduſque contextus; quæ noſtra admiratio tanto major evadet, quanto naturam penitius ſcrutabimur, & enucleate hujus orbis ſtructura, ejuſque inter ſe partium convenientia uſuſque indagabuntur. Quibus exploratis liquebit profecto cujuſque rei ſuum eſſe certiſſimum finem, tum liquebit etiam *ſingulos fines*, quamvis illorum infinita ſit propemodum varietas, ita ſapienter diſpenſatos, ita prudenter connexos eſſe, ut ad *idem generale propoſitum* referantur concurrantque. Rerum autem creatarum quantumcumque varia ſit multitudo, nulla tamen earum confuſio eſt; ſiquidem quæ tot videntur diverſorum generum millia eamdem ſemper formam, necnon quibus ſecernuntur eadem ſemper diſcrimina retinent. Orbis autem partes ita colligatæ ſunt ut aliæ aliis temperentur, atque hinc univerſus concentus exiſtat. Singulis porro partibus ea figura, ea convenientia, is ſitus motuſque inditus eſt qui neceſſarius erat cum ut cujuſque partis effectus ſingularis gignatur, tum ut tanquam ex ſingularum conſpiratione totum quid egregie coaleſcat.

Igitur omnia naturæ opera conſtat edita eſſe ratione delectuque adhibitis, unde fateri cogimur quamdam eſſe ſapientiam &

intelligentiam, quæ tanquam tangitur digito & oculis deprehenditur.

§. IX.

Orbis non coaluit fortuito.

Nec me latet Philoſophos extitiſſe qui fortuito conditum eſſe orbem dixerint. Ridiculam prorſus ſententiam! Atque haud ſcio an unquam majus fuerit humanę mentis deliramentum. Quis enim, proh hominum fidem! ex diverſis materiæ partibus quę ſe ipſas fortunio moverint ſibique invicem adhæſerint, ultro generatos eſſe cœlos & aſtra, terram, plantaſque, tum animalia, ipſoſque homines, & quem in eorum omnium ſtructura ordinem miramur pręſtantiſſimum. Nę is haberetur inſanus qui vel anguſtiſſimam domum, vel librum, vel tabellam diceret fortuito effictam eſſe? Quanto magis inſaniunt illi qui fortuito coaluiſſe dicunt totum orbem cujus tanta eſt amplitudo & tam mirabile artificium.

§. X.

Nec eternus mundus eſt.

Neque potior eorum ſententia eſt, qui ut primam & intelligentem cauſam negent, orbem aſſerunt æternum eſſe. Orbis enim initium arguitur ex ipſa humani generis hiſtoria in qua originem cernere eſt nationum populorumque, atque artium ſcientiarumque inventionem. Comprobatur item orbis initium univerſa & antiquiſſima hominum memoria quæ a majoribus ad poſte-

ſteros dimanavit; ejuſmodi autem argumentum haud parvi momenti eſt quoties de facto agitur. Sed præterea ea rei natura eſt ut non minus explodenda ſit orbis æternitatis quam ejus fortuita generatio. Præclariſſimus enim ordo, aptiſſima ſtructura, tum ſapientiæ ſummæque Rationis argumenta toto orbe præfulgent quorum inquirenda ſemper & explicanda cauſa eſt. Sin dicas nullam adfuiſſe Cauſam intelligentem, quoniam quidquid exiſtit ejus fuit ſemper eadem conditio, non modo quæſtionis nodum non ſolvis, ſed tricas nectis implicatiores, nec minus abſurda loqueris quam qui mundum jactant fortuito conditum. Enimvero qui mundum æternum prędicant, iidem dicunt fuiſſe ordinatum orbem cœca & inconſulta ratione, abſque delectu, citra cauſam & intelligentiam. Quæ duplex ſententia pariter inſulſa eſt; ſed illud eſt inter utramque diſcriminis, quod qui mundum æternum afferunt, ii judicent omni ævo temerarium caſum rectumque ordinem inter ſe conſenſiſſe: qui vero mundum ex partibus fortuito adglutinatis prodiiſſe cenſent, hi quidem autumant non interveniſſe mutuum caſus & ordinis conſenſum niſi longo poſt tempore, & præviis mille proluſionibus partiumque inter ſe adhæſionibus. Utrique igitur præter caſum non aliam agnoſcunt orbis effectricem cauſam, quinimo nullam fatentur: Caſus enim non eſt vera cauſa, ſed mera vox, cujus ope nequeat explicari aliquis

quis effectus, qualis eſt rerum creatarum ordo.

Equidem noſtra illa argumenta facillimum eſſet amplificare, aliaque aliis ſuperaddere; ſed pro noſtro hujus operis inſtituto ſatis ſuperque ſunt ea quæ modo diſputavimus, ex quibus abunde judicio meo liquet PRIMÆ CAUSÆ ſeu CONDITORIS DEI exiſtentiam ſic admittendam eſſe, ut hæc inconcuſſa veritas habeatur qua poſthac tanquam fundamento innitetur noſtra omnis diſputatio.

§. XI.

Deo competit Jus Leges præcipiendi.

Ex eo quod Deum Conditorem agnoſcamus manifeſto conſequens eſt huic Deo utpote noſtro Domino ſummum jus competere hominibus imperandi, eorum vitæ rationem definiendi, atque iis Leges præcipiendi: nec minus evidens eſt ita comparatam eſſe naturam hominum, ut hujus primæ cauſæ ſeu Dei conditoris voluntati ſuas actiones accommodare teneantur.

Jam antea oſtendimus Cap. IX. Part. I. imperandi jus non alio vero fundamento niti quam ejus qui præeſt poteſtate, cui quidem poteſtati aſſiduæ comites adjunguntur ſapientia & benignitas; contra vero homines natura Deo ſubjiciuntur, quia debiles & indigi ſunt. Jam itaque diſpiciamus an Deo inſint potentia, ſapientia, atque benignitas: tum ex altera parte utrum ea ſit hominum imbecillitas & indigentia, ut ideo ſubditi Deo ſint propter ſuam felicitatem.

§. XII.

§. XII.

Ejus qui per ſe exiſtit, orbemque condidit, infinitam poteſtatem eſſe quis ſanus dubitet? Quoniam vero illius voluntate creata ſunt omnia, inde etiam eſt, ut quæ creavit ſervare poſſit, vel delere, vel ad arbitrium immutare. Nec minor ejus eſt ſapientia quam poteſtas. Illi nota ſunt omnia, qui condidit omnia, eique pariter compertæ ſunt rerum cauſæ, tum ex iis cauſis dimanantes effectus. Præterea cum omnia & ſingula Dei opera expendimus, facile intelligitur ſummo numini propoſitos fuiſſe omnium & ſingulorum ſuorum operum præſtantiſſimos fines, quorum aſſequendorum aptiſſimas rationes adhibuit: ac uno verbo, quęcumque in orbe conſpiciuntur, *ſapientiæ*, ut ita dicam, præfulgente nota ſignatę ſunt.

Deus ideo præcepit Leges quia potens, quia ſapiens. quia bonus eſt.

§. XIII.

Docet nos quoque Ratio Deum natura ſua benignum eſſe, quę benignitas ſponte fluit ex ejuſdem ſapientia & potentia. Quę enim natura per ſe ſumme ſapiens & ſumme potens eſt, qui poſſet ad nocendum inclinari? Nec enim ulla eſt ei cauſa cur noceat, Malitia, crudelitas, & injuſtitia ex ignorantia vel impotentia generantur. Verum homo ſi vel tantillum ea contempletur quæ illum circumſtant, & propriam natu-

ram ſuam exploret, beneficam paternamque Dei manum & intra ſe ipſum & extra mirabundus experietur. Ex Deo vitam hauſimus rationemque: hominibus abunde neceſſaria ſuppeditat, neceſſariis utilia, & utilibus adjunxit jucunda. Itaque advertunt Philoſophi omnibus quæ ſaluti conducunt quamdam etiam inditam eſſe jucunditatem. Eſca, quies, motus, calor, frigus, uno verbo quidquid prodeſt, idem alternis vicibus & tamdiu placet, quamdiu prodeſt. Sin autem prodeſſe deſinat, quod nimium ſit, tunc illud repudiare contrario ſenſu monemur. Equidem ad illud expetendum alliciebat nos ſtatim voluptas, quoniam erat neceſſarium; ſed jam ab eo, quia nocere poteſt, abhorremus præ faſtidio & ſatietate. Ea eſt igitur felix ſuaviſque naturæ conſtitutio, ut noſtrorum ſenſuum facultatumque moderatum uſum voluptas ſequatur; namque in noſtram jucunditatem omnia vertuntur quæ nobis circumjecta ſunt, ſi tamen iis utamur moderate. Quid poteſt, verbi gratia, magnificentius excogitari quam illud in quo vivimus theatrum orbis? Et oculis noſtris cœlum hoc & hæc terra ſubjecta quot non ſplendent ornamentis, quot non exhibent jucunda ſemperque inter ſe dirverſa ſpectacula? Quæ non ſua menti voluptas eſt ex ſcientiis quibus colitur, augetur, atque perficitur? Humana vero ſolertia quantas non peperit utilitates? Quot ex hominum cum hominibus ſocietate non gignuntur commoda? Quæ non ex

mutuis

mutuis colloquiis jucunditas, quæ non mutuæ charitatis mutuarumque animi propenſionum ſuavitas eſt? Equidem, modo ne quid nimis ſit, tota pene vita dulciſſimis innocuorum oblectamentorum titillationibus exhilaratur. Quibus adde, quas Leges Deus nobis præcepit eas eſſe, ut ex illis natura noſtra perficiatur, quoniam per eaſdem pravus avertitur facultatum noſtrarum uſus, & quæ bona hominibus conceſſa ſunt, in iis temperamentum illud teneamur adhibere ex quo pendet hominum ſalus, præſtantia, & felicitas tum publica, tum privata. Quæ cum ita ſint, prorſus liquet, quantum Deus ſapiens, & potens eſt, tantumdem bonum eſſe.

Jam itaque Dominum illum habemus cui ſine controverſia inſunt neceſſariæ dotes omnes, ut illi Jus Imperii competat quam maxime Legitimum porrectumque intelligi poteſt. Sed noſtra nobis experientia conſtat quam ſimus debiles, quam indigi: quidquid habemus totum id ex Deo accepimus, in cujus arbitrio poſitum eſt ut bona noſtra vel amplificet vel a nobis auferat; unde evidentiſſimum eſt ex parte tum Dei tum hominum illud adeſſe quidquid neceſſarium eſt, ut omnimodum Dei conſtituatur in homines imperium, homines autem Deo ſint omnino obnoxii.

CAPUT II.

Deus propter ſuum in nos imperium voluit revera nobis Leges præſcribere ſeu noſtræ agendi rationis Regulas.

§. I.

Suo imperii jure Deus utitur Leges nobis preſcribendo.

QUIBUS argumentis probatum eſt Deum exiſtere cui ſumus obnoxii, eiſdem etiam probatur Deo jus eſſe Leges nobis præſcribendi. Sed neque hoc ſufficit: quæritur enim ulterius num ſuo imperii jure revera voluerit uti Deus? Sane poteſt Deus Leges condere, ſed an vere Leges condidit? Nemo, inquiunt, inficias ibit Deos nos obnoxios eſſe quod ad vitam & *phyſicas* noſtras facultates attinet, ſed quod ad earum *phyſicarum* facultatum *moralem* uſum ſpectat, nonne Deus voluit ſolutos Legibus homines eſſe? Erat hoc tertium, & graviſſimum quidem caput quod ſupereſt expendendum.

§. II.

1. *Argumentum* hinc ex Deo, illinc deductum ex hominibus.

Jam multum hoc eſt neceſſarias ferendarum Legum cauſas deprehendiſſe. Hinc adeſt Dominus qui pro ſua natura dotibuſque ſuis præſtantiſſimis legitimum jus habet imperandi, illinc adſunt homines quos ipſemet Deus ille condidit, quos intellectu donavit & libertate, ita ut quidquid agunt

non

non modo intelligant, ſed & eligant, tum qui etiam lætitia vel dolore, bonis vel malis, mercedibus aut pœnis affici poſſunt. Naturam exiſtere ſanciendis Legibus idoneam, & homines accipiendis habiles profecto non eſt quid ſupervacaneum, ſed hujus inter Deum & homines convenientiæ debet aliquis finis, aliquis exitus eſſe: non ſecus ac ex ipſa noſtrorum oculorum ſtructura recte colligimus percipiendæ luci natos nos eſſe. Quare nos enim Legibus aptos accipiendis feciſſet Deus, ſi nullas voluiſſet Leges conſtituere? Namque ſic facultatum ad Leges hominibus inditarum nullus foret uſus. Quapropter non poſſibile tantum, ſed omnino probabile eſt homines in univerſum Legibus adſtringi debuiſſe, niſi potioribus argumentis contrarium appareat. At vero tantum abeſt ut ullo argumento prior noſtra ſententia convellatur, ut contra undequaque corroboretur.

§. III.

2. Argumentum deductum ex fine quem ſibi quoad hominem propoſuit Deus, & ex Legum Moralium neceſſitate, ut hic finis obtineatur.

SI quis pulcherrimum ordinem contemplabitur quem in *Mundo Phyſico* ſumma Dei ſapientia conſtituit, is certe non poterit exiſtimare caſui permiſſum eſſe *Mundum Cogitantem* ſeu *Moralem*, ita ut nulla diſciplina cohibeatur. Contra nos Ratio docet ſapientiſſimæ naturæ in omnibus propoſitum eſſe quemdam æquum finem cujus aſſequendi neceſſarius modus adhibeatur. Non alius in rebus creatis, & ſingulariter in hominibus,

Deo poteſt fuiſſe propoſitus finis quam hinc ſua gloria, illinc autem rerum creatarum perfectio & felicitas quantum ſecundum ſuam naturam indolemque valent obtinere. Qui duo Conditori propoſiti fines pulchre coeunt conjunguntur que. Namque Dei gloria in eo ſita eſt ut ſuas virtutes exhibeat, potentiam nimirum, benignitatem, ſapientiam atque juſtitiam, quæ eædem virtutes nihil in Deo aliud ſunt quam ordinis amor & univerſæ utilitatis ſtudium. Itaque ſumme perfectus & ſumme felix Deus quoniam hominem vult in eo tum ordine verſari tum felicitate perfrui quæ hominem decent, idcirco vult etiam quidquid in eum finem neceſſario refertur, unde huic propoſito conducentes rationes probat, obſtantes autem improbat rejicitque. Natura hominis ſi mere phyſica eſſet aut mechanica, quidquid in ea præſtandum præſtaret Deus ipſe. Sed homo cum ſit intelligens liberque, atque is qui res dijudicet & eligat, ideo quibus rationibus hominem Deus deducit ad deſtinatam illi ſortem, eas oportet eſſe naturæ hominis accommodatas, in quibus nimirum ſuæ ſint partes hominis, & ad quas propriis ſuis factis conſpiret.

Quoniam vero propoſito fini conſequendo non omnis ratio pariter conducit, inde etiam eſt ut quælibet actiones hominum indifferentes non ſint. Liquet enim contra Dei voluntatem fieri quidquid propoſitis Deo finibus adverſatur: quod autem confert ad aſſequendos fines illos eidem eſſe

acce-

acceptiſſimum. Quoties aliud præ alio eligendum, & ubi alii viæ inſiſtendum eſt potius quam alii, certe Conditoris noſtri ea voluntas eſt ut rectam viam ineamus, neque nos temere geramus & fortuito, ſed convenienter rationi, ita ut libertatem noſtram cæteraſque nobis inditas facultates uſurpemus qua ratione par eſt, ut noſtræ conditioni, noſtroque fini, Deique propoſito ſatisfiat in noſtram ipſorum aliorumque hominum felicitatem.

§. IV.

Ex contraria ſententia ſententiæ noſtræ major accedit vis: Quæ ſors enim foret hominum, quæ ſocietatis, ſi ſua cujuſvis hominis facta ita penes illum eſſent, ut aliam non haberet agendi cauſam quam vel mentis levitatem vel animi pravos affectus? Fingamus enim hominem ſibi ipſi permiſſum, nullis Legibus obnoxium, & cui Deus nullam vivendi normam indixerit: quo poſito vides plerarumque humanarum facultatum jam nullam utilitatem eſſe. Quid enim Ratio proderit cœcis motibus impulſo & nihil agenti conſiderate? Quid homini proderit quod in judicando poſſit ſuſpenſus hærere, ſi prima rerum ſpecie trahatur imprudens? Quid illi proderit res expendendi facultas, ſi rerum eligendarum conſilium nullum ineat, nec prudentiam auſcultet, ſed devias propenſiones ſequatur. Equidem præclaræ dotes illæ qui- Superiora argumenta confirmantur.

bus

bus humanæ naturæ conſtat dignitas & excellentia, non ſolum fierent prorſus inutiles, ſed etiam in noſtrum detrimentum verterentur: tanto enim nocentior alicujus dotis pravus uſus eſt, quanto dos illa pulchrior eſt atque præſtantior.

Libertas exlex non ſolum homines ſocietate ſecluſos gravi detrimento afficeret, ſed illis multo etiam eſſet nocentior, ſi ſpectentur prout ſunt mutua ſocietate connexi: ſocietati namque opus imprimis Leges ſunt, ne plus æquo ſibi quis arroget, aut alienum appetat: alioquin in licentiam prolabetur libertas. Permitte ſibi ipſi homines,

Et vaga proſiliet frenis natura ſolutis,

atque iniquitas, immanitas, perfidia, vis, campo, ut ita dicam, gaudebunt aperto, Tolle morales Leges, tolle morale vinculum illud quo in quavis gente continentur foventurque fides & æquitas, unde ſua familiis & hominibus in alios homines deſcripta jura ſunt & officia; hæc, inquam, tolle, homineſque videre erit alios in alios immanium beſtiarum more ferocientes. Quo enim homo ſagacior eſt atque ſolertior, eo ſui ſimilibus magis metuendus erit: ejus ſolertia vertetur in calliditatem, & in malignitatem ſagacitas. Quocirca jam nulla ſocietatis utilitas aut ſuavitas, ſed hominum adverſus homines bellum eſſet & latrocinium.

§. V.

§. V.

Sed quæ tu obtendis incommoda, iis, inquies, ipſimet homines Legum conſtitutione mederentur. Reſpondebo ego quod meam litem facias; fateris namque Leges in univerſum neceſſarias eſſe; quamquam ut id dicatur quod verum eſt, imbecilliores Leges humanæ ſunt, niſi ſua cujuſque conſcientia nitantur. Quoniam igitur hoc poſcit humana Ratio, ut vivendi normam homines inter ſe conſtituant, cujus ope tuti præſtentur a malis quæ ſibi poſſunt mutuo inferre, & ea commoda conſequantur, quæ proſunt tum publice tum privatim, quanto magis cenſemus rectam vivendi normam a Conditore ſumme ſapiente & ſumme bono conſtitutam oportuiſſe? Equidem bonus paterfamilias, quo ſuam domum ordinet, liberos ſuos auctoritate conſiliiſque ſuis inſtituit. Qui poſſumus ergo exiſtimare communis omnium hominum parentis non eamdem curam eſſe? Atque ſi præcipuum ſit illud boni Principis ſtudium ut bonis Legibus licentiam avertat, Deum-ne credi poteſt, qui longe hominibus amicior eſt quam in ſe ipſi bene mutuo affecti ſunt, totum permiſiſſe genus humanum ſine duce vagari, hominesque exleges eſſe in rebus etiam graviſſimis, unde tota pendet eorum felicitas? Ita de Deo ſentire non ſolum ejus benignitatem impugnat, ſed & ſapientiam. Contraria igitur & ſanior ſen-

3. Argumentum ex Dei benignitate ductum.

ten-

tentia habenda eſt. Deum itaque exiſtimemus, ſiquidem pro ſua benignitate homines creaverit quo felices eſſent, eiſque invictam potiundæ felicitatis inſtillarit cupiditatem, tum voluerit etiam ut ſocietate viverent conjuncti, eiſdem proculdubio amorem quoque ordinis indidiſſe, Legeſque dediſſe quibus conſtituendi tuendique ordinis rationes indigitantur.

§. VI.

4. Argument m deductum ex agendi Regulis quas revera in nobis deprehendimus.

EXCUTIAMUS noſmetipſos, & quas Leges hominibus benignum ſapientemque Deum decebat impoſuiſſe, illas revera mentibus noſtris deprehendemus infixas, quas recludit & in aperto collocat indita nobis Ratio. Multa profecto certiſſima principia ſunt quibus ſcientiæ fundantur, & multa mens contemplatur evidenter veriſſima. Sed neque minus certa eſt Regularum veritas quæ vitam humanam dirigunt, & quibus Moralis Diſciplina continetur. Evidentiſſimum eſt, verbi gratia, homines ſapientiſſimum optimumque ſuum Conditorem ſumma reverentia debere proſequi; homini expetendam felicitatem; majorem utilitatem minori anteponendam; beneficiorum ſervandam memoriam; præſtare ordinem perturbationi, &c. Quæ documenta, & id genus alia propemodum æque ſunt evidentiſſima quam ſi dicatur: Totum eſt majus ſua parte; Cauſa præcedit effectum, &c. Alia enim non ſecus ac alia puriſſimo Rationis lumi-

ne

ne pariter inclareſcunt, unde illis cogimur aſſentiri. Ac ſane generales hæ veritates raro vocantur in dubium, ſed de illis ad humanam vitam accommodandis diſceptatur, & de conſequentiis ambigitur. At vero ubi ſemel conſtat de principiorum veritate, non minus certæ ſunt eorum conſequentiæ ſeu proximæ, ſeu remotæ, modo ſibi recte cohæreant, aliæque ex aliis vera & ad rem appoſita ratiocinatione deducantur.

§. VII.

Humanæ menti ea ſunt ingenita principia ut ſuapte natura homines obligent.

Jam ut intelligamus quemadmodum ex poſitis principiis, & eorum legitimis conſecutionibus noſtra deducatur agendi ratio, ſatis eſt illud in memoriam revocaſſe quod dictum eſt Cap. VI. Part. I. de obligatione qua tenemur præſcripta Rationis exequi. Quoniam enim in iis, quæ vel animo dumtaxat conſiderantur, abſurdum foret aliter loqui vel ſentire quam ſecundum hoc Rationis lumen quo *verum* a *falſo* ſecernitur, ſic etiam in inſtituenda vitæ ratione non minus abſurdum foret ab illis certiſſimis notionibus recedere quibus a *malo* ſecernitur *bonum*. Quoties liquet noſtræ naturæ, & ei præcipuo fini quem nobis propoſitum habemus, aptiſſimam eſſe quamdam rationem, eidemque noſtro fini, ſive felicitati, & naturæ noſtræ rationem aliam repugnare, conſequens eſt ut homo cum ſit libertate præditus, & ratione rerum hoc diſcri-

men attendat, & exploratis utriſque partibus, eis adhæreat quæ ſunt utiliores. Ita enim ſe gerere per ipſam rei naturam cogitur; qui vult enim propoſitum finem aſſequi, is etiam neceſſe eſt ut directo ad metam tramiti velit inſiſtere: quod præterea etiam tenetur præſtare, quia in hoc ſibi comperta ſunt Legislatoris propoſitum; & voluntas.

§. VIII.

Ea Dei voluntas eſt ut poſitis principiis obligemur, unde ſunt veræ Leges.

ENIMVERO quoniam Deus rerum omnium noſtramque ipſorum naturam condidit, quoties ob illam rerum naturam noſtramque juſtis de cauſis impellimur ut hac vel illa ratione judicemus agamuſque, profecto ſatis manifeſtum eſt Dei propoſitum, nec de ejus voluntate jam poteſt ambigi. Itaque ſanæ Rationis ſermo ipſius Dei ſermo eſt. Cum nos Ratio clara voce monet *Pro bono non eſſe rependendum malum*, hoc interiore oraculo monet nos ipſe Deus quid *bonum* & *juſtum*, eique acceptum ſit, & nobis expediat. Dictum antea eſt nullo argumento probabile videri a Conditore ſumme bono ſummeque ſapiente hominem ſibi ipſi permiſſum tum duce tum regula carentem. Sed ecce partam ex Deo Regulam; quoniam enim inſunt illi ſummo in gradu virtutes omnes quibus legitimum imperium conſtituitur; nemini dubium eſſe poteſt quin pro Lege hæbenda ſit tanti Legislatoris voluntas. Nam quibus conditionibus cen-

conſtituitur Lex, hic omnes concurrunt. 1. Præcipitur Regula; 2. Regula hæc juſta & utilis eſt; 3. Regula hæc ab eo parta eſt cui omnino ſubditi ſumus; 4. tandem Regula hæc infixis mentis noſtræ præceptis & naturali lumine ſufficienter innoteſcit. Hæc igitur proprie dicta eſt Lex quam tenemur ſervare.

Verum paulo accuratius inveſtigemus quibus modi ſe prodat & detegatur Naturalis hæc Lex; ſeu quod idem eſt, quibus e fontibus haurienda ſit. Sic enim quod generalibus tantum argumentis probatum eſt, ei lux affundetur & vis accedet major, cum ſingula recenſebimus. Porro vera principia tum conſtat comperta eſſe, ſi poſtquam enucleata & in ſingulis ſuis partibus expenſa ſunt, cum rerum natura conſentire deprehendantur.

CAPUT III.

Quæ ſint RATIONES *ſecernendi* juſtum *ab* injuſto, *ſeu Legis Naturalis præcepta dignoſcendi, nimirum* 1. INSTINCTUS MORALIS, 2. RATIO.

§. I.

Prima ratio dijudicandi bonum & malum.

EX iis quæ ſuperiori capite dicta ſunt jam ſatis intelligitur inditas nobis a Deo duas facultates eſſe *bonum & malum morale* dijudicandi, quarum altera nihil aliud

morale, ſcilicet *Inſtinctus* vel *ſenſus*. eſt quam quidam *inſtinctus*, altera vero *ratiocinium* dicitur.

Inſtinctum Moralem dico *naturalem propenſionem illam qua inſtigante rebus quibuſdam ut bonis & laudabilibus aſſentimur, alias autem ut malas & vituperandas repudiamus, nullo prævio ratiocinio ſeu accurata rerum exploratione*. Sin cum HUTCHINSONIO viro inter Scotos peritiſſimo inſtinctum illum mavis SENSUM MORALEM nuncupare, dicendum eſt Senſum Moralem *eam eſſe mentis noſtræ facultatem cujus ope quibuſdam in rebus bonum & malum morale uno intuitu deprehendimus citra ullum ratiocinium, & rerum ullam explorationem, ſed duce quodam affectu & ſapore*.

§. II.

Exempla. Itaque ſi quem videamus dolore percitum, eo ſtatim miſericordiæ ſenſu afficimur, ut adflicto opitulari pulchrum jucundumque habeamus. Beneficium accipientis is primus affectus eſt, ut quem experitur gratum animum teſtetur beneficium conferenti. Quod ſi peculiares odii vel timoris cauſæ ſecludantur, hic primus eſt hominis in hominem affectus, ut eum benevolentia proſequatur quocum ſimilem naturam ſortitus eſt, atque eaſdem vitæ neceſſitates. Sic etiam nulla prævia rei exploratione aut accurato judicio & pueri & ipſi rudes homines beneficiorum memoriam non retinere putant turpe vitium eſſe, & perfidiam

ut fœ-

ut fœdiſſimum & iniquiſſimum ſcelus execrantur, quo offenduntur, & a quo natura abhorrent. Contra fidem ſervare, beneficiorum memorem eſſe, ſuum cuique reddere, parentes colere, adflictos ſublevare, totidem facta ſunt quæ neceſſario probamus laudamuſque, utpote juſta, bona, honeſta, convenientia, & humani generis utilitati conducentia. Hinc fit ut iis narrationibus natura oblectemur in quibus aliquid memoratur factum ex æquitate, ex fide, ex humanitate, ex beneficentia: iis animus ſuaviter commovetur demulceturque, quæ ſi etiam legamus in hiſtoriis impenſe miramur, & hujus ætatis, aut gentis, aut familiæ felicitatem extollimus, quæ tam egregia exempla protulerunt. Scelerum autem exempla, quæ aut videmus aut audimus, aſpernamur indignabundi.

§. III.

Jam vero ſi quæratur unde in nobis hic animi motus gignatur, quo impulſi homines quibuſdam actionibus gaudent, alias autem averſantur? Equidem quod reſpondeam non aliud habeo, niſi quod noſter Conditor ita nos eſſe affectos voluerit, eamque naturam noſtram & indolem eſſe, ut quemadmodum Bonis & Malis corporeis ſeu *phyſicis* afficimur, ita in quibuſdam Bonorum & Malorum *moralium* afficeremur diſcrimine. Eſt igitur ille quidam *inſtinctus*, quales nobis plures alios natura inſe- Cur ita ſimus affecti.

 vit,

vit, ut ad eas res celerius & validius impelleremur, in quibus ſuæ judicii partes futuræ erant tardiores. Sic ſe habet interior ille ſenſus quo monemur corporis neceſſitatibus conſulere; ſic etiam exteriorum ſenſuum noſtrorum ope rerum objectarum naturam ſtatim dijudicamus, an ſint utiles an noxiæ, ut celeriter & organorum corporeorum impulſu ad id faciendum moveamur, quod ſaluti noſtræ conducit. Sic etiam ſe habet inſtinctus ille quo vitæ adeo tenaciter adhæreſcimus, & hæc innata potiundæ felicitatis cupido, humanarum actionum ſumma motrix. Sic etiam ſe habet fere cœcus, omnino tamen neceſſarius, parentum in liberos amor. Hoc poſcebant urgentes nec differendæ neceſſitates, ut homo non tarda judicii inveſtigatione, ſed acrioribus & promptioribus ſenſuum ſtimulis ageretur.

§. IV.

Quid proſit nos ita affectos eſſe.

Itaque quod Deus in hominum corporibus, idem in illorum mentibus præſtitit, quod ad moralem eorum agendi rationem attinet; eis enim *Senſum* indidit, vel juſtitiæ atque virtutis *ſaporem*, qui ſenſus ſaporque judicii non expectant operam, ſed primos regunt affectus noſtros; & in pleriſque hominibus hanc operam judicii feliciter ſupplent, necnon accuratam rerum explorationem. Quotus enim quiſque eſt qui res attendat? Quot contra ita rudes, ita ſu-

ſupini, ita judicii ſunt expertes, ut vix tres quatuorve ſuas cogitationes ita queant evolvere, ut hinc conſtet aliqua ratiocinatio. E re igitur erat ut eam nobis Creator inderet acrem promptamque facultatem, quę non opem deſideraret ingenii, ſed per quam bonum malumque celeriter diſtingueremus, expeteremus aliud quidem, aliud autem averſaremur.

§. V.

Objectio: Hi ſenſus in ſingulis hominibus non deprehenduntur.

Quos ſenſus ſi quis neget veros eſſe, eoſque dicat in ſingulis hominibus non inveniri, quoniam feræ gentes ſunt in quibus ſimilis ſenſus nullus appareat, atque etiam inter moratos populos videri tam perverſos homines, ut in iis nulla virtutis notitia vel ſenſus eluceſcat: Reſpondeo 1. Quos memoramus primigenios ſenſus gentibus etiam immaniſſimis ineſſe, quorum ſenſuum ſi quibuſdam in gentibus veſtigium nullum ſe prodat, hoc ideo contingit vel quia nobis non ſatis earum mores comperti, aut eo ſocordiæ prolapſæ ſunt, ut pleroſque ſenſus humanos exuerint, vel tandem quoniam in quibuſdam ſenſus illos non conſulto quidem reſpuerunt, ſed adulterarunt, præjudicatis opinionibus indulgentes, quarum vis major extitit quam rectæ mentis aut innati judicii, unde etiam in contrarias partes abiere. Feri ſunt homines, exempli cauſa, qui captos hoſtes vorant, quoniam quos poſſunt occidere nihil pu-

Reſponſ. 1. Eorum veſtigia etiam in gentibus immaniſſimis deprehenduntur

tant obſtare quominus eorum carne ut cæteris ſpoliis fruantur. At iidem feri homines non ſic haberent ſuos amicos populareſve: jus inter ſe normamque colunt; nec ibi quam alibi minus eſt fidei pretium, atque inter illos non paucioribus quam apud nos laudibus effertur beneficiorum homo memor.

§. VI.

2. Diſtinguendus eſt naturalis ſtatus hominis ab ejuſdem ſtatu depravato.

QUOD ad illos attinet, qui quamvis degant in gentibus excultiſſimis, pudorem, humanitatem, & juſtitiam videntur exuiſſe, ſane diſtinguendus eſt hominum ſtatus naturalis ab eorum ſtatu degenere; poſſunt enim homines ex abuſu & libidine degeneres fieri. Quid eſt, verbi gratia, naturæ magis conſentaneum quam innata parentibus in liberos charitas? Quam tamen charitatem viſi ſunt quidam in ſe ipſis oppreſſiſſe vel affectu vehementiore convulſi, vel inſtanti libidine ſuperati ob quam innatus liberorum amor ad tempus intermitteretur. Præterea, num quid validius eſt quam noſtri ipſorum & noſtræ ſalutis amor? Nihilominus ſive ex ira, ſive ex affectibus aliis a ſolita ſede mentem exturbantibus contingit, ut quidam homines ſua ſibi membra dilanient, res ad ſe pertinentes deſtruant, vel graviſſimum aliquod ſibi damnum inferant, tamquam ſuæ calamitatis appetentes.

§. VII.

§. VII.

Ac tandem ſi quidam forte ſunt homines, qui ſedato animo & nulla conturbati libidine, virtutis omnem amorem & exiſtimationem videantur exuiſſe; præterquam quod ejuſmodi monſtra confido non minus in morali quam in phyſico mundo rariſſima eſſe, ad ſummum hinc colligitur quid poſſit excogitata & inveterata pravitas. Neque enim ita pravi naſcuntur homines: ſed de quo loquimur ſenſus moralis in quibuſdam extinguitur, vel quia ſua putant intereſſe quibus laborant vitia excuſare vel obtegere, vel quia malis moribus aſſueverunt, vel quod falſa rerum æſtimatione deluduntur; quemadmodum quælibet alia corporis aut mentis facultas ex abuſu adulteratur & corrumpitur. Quæ tamen hominum felicitas eſt, non ita facile mentis ut corporis ſenſus atteruntur & diſpereunt. Qui ad mentem ſenſus pertinent, fere ſemper ſervantur, atque illos lumen eſſe dixeris, quod, etiamſi videatur extinctum, poſſit tamen rurſus exſuſcitari radioſque emittere, id quod non ſemel vel in nequiſſimis hominibus compertum eſt.

3. Si quæ ſint moralia monſtra, rariſſima quidem illa ſunt, nec inde contra noſtram ſententiam quidquã colligitur.

§. VIII.

Quamquam vero nobis Deus *inſtinctum* illum vel *ſenſum* indiderit, qui primus modus eſſet Bonum & malum morale ſecernen-

Non ſolum *inſtinctus*, ſed & *Ratio* data

eſt ad dignoſcendum Bonum, & Malum morale.

nendi, haud tamen ſatis ei fuit hanc nobis facultatem indidiſſe, ſed inſuper voluit, ut qua luce, nimirum RATIONE aliis in rebus utimur, hæc nobis etiam opem ferret, quo lucidius & explicatius regulas illas haberemus perſpectas quibus in vitæ decurſu inſiſtendum eſt.

RATIONEM voco facultatem cogitationes cogitationibus conferendi, rerum inter ſe convenientiam vel diſcrepantiam comperiendi, & ex his conſequentia eliciendi. Cujus egregiæ prorſus facultatis ope, quod jam naturalis *ſenſus* de juſto & injuſto tanquam indigitabat, manifeſtius evadit, veris argumentis probatur, ampliatur, & propoſitis aptatur quæſtionibus: eſt enim Ratio mentis humanæ certiſſima lux. Quemadmodum porro in hominibus non minuitur, ſed augetur paterna charitas, conſiderantibus nihil naturæ magis eſſe conſentaneum quam illos amore proſequi qui ex ſe progeniti ſunt, quem amorem non ſolum privatæ ſuæ familiæ, ſed toti humano generi prodeſſe intelligunt, ſic pariter quem antea diximus virtutis & ejus præſtantiæ ingenitum nobis ſenſum eſſe, is certe non parum Ratione corroboratur: Ratio enim principia, cauſas, convenientiam, & commoda tum publica tum privata ejuſdem virtutis expendit; quæ nobis etiam citra diſquiſitionem primo intuitu tam decora videbatur

§. IX.

§. IX.

Ratio inſtinctui præſtat, 1. quoniam arguit an verus ſit inſtinctus.

QUINETIAM aſſeri poteſt *inſtinctui* vel *ſenſui* Rationem triplici de cauſa ſuperiorem eſſe.

1. Evincit Ratio an verus rectuſque ſit inſtinctus; non ſecus ac in aliis rebus explorationem & regulas adhibemus ut arguatur hujus vel illius artis aut ſcientiæ hunc vel illum genuinum *ſaporem* eſſe, oſtendaturque quod hic ſapor non in cœco arbitrio, ſed in ipſa ratione poſitus ſit, propriiſque ſibi principiis innitatur. Simile quid eis contingit quibus eſt acies oculorum acerrima: hi namque certius exiſtimant quantum res objecta diſtet, vel quæ ſit ejus figura, poſtquam illam diligenter explorarunt, otioſe dimenſi ſunt, atque cum aliis compararunt, quam ſi eam ex primo aſpectu dijudicaſſent. Opiniones etiam ſunt atque conſuetudines quarum in hominum mentes tam vehemens & univerſa vis eſt, ut ſi res ex earum opinionum potentiſſimo affectu cenſerentur, facillime veritatis locum præjudicatæ iſtæ opiniones occuparent. Hoc igitur Rationis officium eſt; ut vera rerum judicandarum principia in animos noſtros revocet, claudicantia judicia noſtra erigat, & eos abſtergat errores quos a vitioſa inſtitutione hauſimus.

§. X.

§. X.

2. Inſtinctui Ratio præſtat, quia principia enucleat, & ex his conſequentias deducit.

In hoc altero inſtinctui Ratio præſtat, quod lucidius enucleat cogitationes, dum illarum inter ſe convenientiam aut diſcrepantiam expendit, earumque conſecutiones reputat. Eos namque ſæpiſſime videmus irretiri atque decipi qui cum primo tantum inſtinctu afficiantur, quo ſe convertant ambigunt, quoties rem nanciſcuntur paulo intricatiorem, & quæ Judicii quoddam acumen deſiderat. Cujuſmodi homines generalia quidem principia ſubolent, ſed eorum neſciunt tanquam diverſos ramos perſequi, neque norunt quæ neceſſariæ ſint diſtinctiones vel exceptiones, nec quommodo pro locis & temporibus principia ſint adtemperanda. Sunt enim hæc omnia Rationis opus, quæ ſuas partes tanto facilius exequetur, quanto illam diligentius exercebimus & excolemus.

§. XI.

3. In hoc etiam Inſtinctui Ratio præſtat, quod omnibus in univerſum rebus applicetur.

Non ſolum Rationis latius vis patet quam inſtinctus, quod ad principiorum enodationem & applicationem attinet, ſed ejus etiam major eſt quam inſtinctus extenſio, ſi principia ſpectentur quæ retegit, & res objectæ quas amplectitur. Nec enim nobis conceſſus inſtinctus eſt niſi ob pauciſſimas res, eaſque minime implicatas, & ad ſtatum naturalem hominis per-

pertinentes, in quibus opus erat impulſus citiſſimus. Sed aliæ ſunt res intricatiores quæ ſuam cauſam habent, tum in diverſis hominum conditionibus, tum in quibuſdam adjunctis invicem conſociandis, tum in ſingulari ſtatu cujuſque, de quibus omnibus certæ regulæ ſtatui nequeunt, niſi ſolers adhibeatur judicium, & mutua rerum convenientia vel diſcrepantia attento animo expendantur.

Igitur *Inſtinctus* & *Ratio* duæ ſunt hominibus a Deo conceſſæ facultates, per quas a malo bonum ſecernatur. Quæ duæ facultates, fauſtis, ut ita dicam, ominibus junctæ, & amicam manum altera alteri porrigentes, in eumdem finem concurrunt. Inſtinctus primam rerum ſpeciem exhibet, Ratio expendit & arguit an ſe vere habeat inſtinctus. Inſtinctus tanquam indigitat principia, ſed hæc eadem principia Ratio enucleat, & enucleata ſingulis rebus accommodat. Inſtinctus dux noſter eſt ubi moram non patitur urgens neceſſitas, Ratio perſpicit quid deceat aut non, & regulas tradit eis rebus accommodatas quibus ineſt aliquid præ cœteris ſingulare.

Hac igitur diſputata methodo boni, & juſti cognitionem poſſumus aſſequi, ſeu quod idem eſt, poſſumus comperire quam Deus hominibus eſſe velit moralem agendi rationem. Quapropter jam ex Inſtinctu & Ratione conjunctis deducenda ſunt *Legum Naturalium* principia.

CAPUT IV.

Ex quibus principiis poſſit Ratio Naturales Leges deducere. (a)

§. I.

(a) Vid. *de hoc cap. & ſequent. Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. C. III.*

Unde Naturalium Legum principia deducantur.

SI deinde quæratur quibus principiis uti Ratio debeat, ut ea dignoſcat quæ ad Leges Naturales pertinent, easque comperiat & enucleet, in univerſum reſpondeo, naturam hominis ejuſque varios ſtatus attendendos eſſe; quoniam enim homo propter varios ſuos ſtatus ad diverſas rerum naturas diverſimode ſe habet, diverſa quoque principia ſunt quibus ad officiorum noſtrorum cognitionem deducimur.

Sed antequam varios hominis ſtatus illos expendamus, abs re non erit quaſdam adnotationes præmittere DE LEGUM NATURALIUM PRINCIPIIS, ut primo aditu amoveantur æquivocationes, quæ quam tractamus materiam non unis tricis implicarunt.

§. II.

Adnotationes præviæ. Quid intelligatur per Legum Naturalium *principia*.

CUM hic quæritur quæ PRIMA ſint NATURALIUM LEGUM ELEMENTA, idem eſt ac ſi quæratur *quænam primigeniæ veritates*, ſeu *propoſitiones illæ ſint quibus revera dignoſcere valemus quæ ſit in nos Dei voluntas*; atque ſic ex conſequentiis rite dedu-

deductis cognitionem adipiſci ſingularium rerum & officiorum quæ rectæ Rationis miniſterio nobis Deus impoſuit.

De quibus igitur principiis hic quæſtio eſt, habenda quidem illa non ſunt pro Legum Naturalium cauſa efficiente & genitrice; alia quoque cauſa eſt cur iis principiis obſtringamur. Non alia Naturalium Legum efficiens cauſa eſt quam ſummi Dei voluntas, nec aliunde vim habent obligandi, nec de hoc apud quemquam ambigitur. Sed & hoc poſito inquirendum adhuc ſupereſt qua ratione poſſint homines dignoſcere Dei voluntatem, & ea principia comperire per quæ tum nobis Dei propoſita innoteſcant, tum ex quibus ſingulare quodvis officium noſtrum promanet, quantum horum omnium cognitio ſolius Rationis ope comparari poteſt. Quæritur, exempli cauſa, an ſecundum Naturale jus ſarciri debeat damnum illatum, & an pacta ſervanda ſint? Si hoc unum reſpondeas: proculdubio ſarcienda damna illata, & pactis ſtandum eſſe, *quoniam ea ſit Dei voluntas*, certe liquet quod non propoſitæ quæſtioni ſatisfeceris; ulterius enim & merito quæretur, quænam ſit illa cauſa ſive principium ex quo manifeſte conſtat eam revera Dei voluntatem eſſe? Hoc enim illud eſt quod quærebatur.

§. III.

Deinceps adnotandum eſt prima Legum Legum Natur-

lium principia quam indolem habeant.

gum Naturalium principia non ſolum debere *vera* eſſe, ſed etiam *ſimplicia*, *perſpicua*, ſufficientia, eiſdemque Naturalibus Legibus *apta*.

Hæc principia debent vera eſſe: id eſt, ex ipſa rerum natura ſtatuque haurienda ſunt. Ex principiis namque falſis aut fictitiis nonniſi falſa & fictitia conſequentur; nec unquam ſuper fundamentis proxime collapſuris permanſuræ ædes ædificabuntur.

Debent eſſe ſimplicia & ex ſe ipſis perſpicua, aut quorum ſaltem facilis cognitio ſit & explicatio. Legibus enim naturalibus quoniam omnes homines obſtringuntur, idcirco prima illarum principia non debent communem hominum intelligentiam ſupeperare, ſed oportet ut cuilibet ſint facile pervia, nec immerito quis caveat a principiis nimium reconditis & ſubtilibus, aut nimium extra communem ratiocinandi normam poſitis.

Inſuper hæc principia debent eſſe tum ſufficientia, tum univerſa, ex quibus per genuinas & proximas conſequentias eliciantur omnes Naturales Leges, & ex his Legibus orta officia dignoſcantur; ita ut ſingularum Legum vel ſingulorum officiorum deſcriptio nihil ſit aliud quam principiorum quibus conſtant explanatio non ſecus ac cujuſvis plantæ procreatio vel incrementum nihil aliud eſt quam germinis explicatio vel ſeminis.

Quoniam autem plerarumque Naturalium Legum variæ ſunt exceptiones, præterea

re-

requiritur ea Naturalium Legum principia eſſe, quæ in ſe ipſis exceptionum cauſam includant, ita ut non ſolum ex illis deducantur communes omnes Diſciplinæ Moralis Regulæ, ſed ut etiam per eadem principia Regulæ pro tempore, loco, & occaſione conſtringantur & coarctentur.

Ac tandem prima hæc principia ita conſtituenda ſunt, ut iis reipſa tanquam proprio & proximo fundamento innitantur omnia Naturali Lege præſcripta officia; ita ut, ſive a principiis ordiare ut ex illis educas conſequentia, ſive a conſequentiis referas te ad principia, ſibi ſemper conſtet ratiocinationis ſeries, nec quidquam medium interveniat quo filum, ut ita dicam, diſputationis abrumpatur.

§. IV.

An ad unicum principium Leges omnes Naturales reducendæ ſint?

Cæterum, ſi res in univerſum ſpectetur, prorſus quid indifferens eſt an Legum Naturalium unicum vel plura principia conſtituantur, in quo rectæ & accuratæ methodi ſequi decet regulas. Porro ad noſtri ſyſtematis veritatem aut perfectionem nihil omnino neceſſe eſt, ut omnes Naturales Leges ad unicum referantur & primigenium principium, quod neque fortaſſis poſſit fieri. Quidquid illud ſit, certe ſupervacaneus hic labor eſt multo mentis conatu torqueri, ut ex unico principio Leges omnes naturales, & omnia officia noſtra deducantur.

Eas habuimus quas proponeremus adnotationes, quæ ſi veræ ſunt, duplex hæc erit illarum dos, primo quod inſiſtendam viam oſtendent qua Legum Naturalium vera principia conſtituamus; Deinde quod rationem ſimul ſuppeditabunt accurato judicio varia ſyſtemata expendendi quæ de hac materia prodiere: ſed eam nos materiam jam nunc aggrediamur.

§. V.

Legum Naturalium cognitionẽ non poteſt homo aſſequi niſi expendendo ſuam naturam, indolem, ſtatumque.

Non alia Legum Naturalium dignoſcendarum ratio eſt, quam ſi attente naturam hominis indagamus ejuſque indolem, tum quemadmodum ſe habeat ad res externas quibus circumcingitur, & quinam hinc hominis ſtatus exoriantur. Ac ſane *Juris Naturalis* ipſum vocabulum, noſtraque illius definitio ſatis indicant non aliunde quam ex ipſa hominis natura & indole hujus noſtræ ſcientiæ principia hauriri poſſe. Itaque generales duas propoſitiones ſtatuemus quibus Legum Naturalium totum ſyſtema continebitur.

I. Propositio. *Quidquid eſt in hominis natura ejuſque primigenio ſtatu & conditione, & quidquid ex hac natura, ſtatu, & conditione conſequitur, id certo præmonſtrat quodnam Dei ſit in homines propoſitum aut voluntas, atque ſic Legum Naturalium ſcientiam nos edocet.*

II. Propositio. *Sed ut abſolutum ſyſtema Legum Naturalium habeamus, non ſolum*

lum hominis inveſtiganda natura qualis in ſe ipſa eſt; ſed attendendum præterea quemadmodum ſe homo habeat ad alias aliarum rerum naturas extra illum poſitas, & quinam hinc novi ſtatus homini ſuperveniant: alioquin Naturalium Legum mancum eſſet & imperfectum ſyſtema:

Merito igitur dici poteſt Naturalium Legum ſyſtema petendum eſſe ex ipſa hominis natura & ex omnibus humanæ naturæ adjunctis conditionibus; in quibus ob quoſdam fines ipſe Deus hominem conſtituit. Naturæ, inquam, humanæ & ei adjunctorum conſideratio vera ſuppeditat Legum Naturalium principia, ſi hæc principia ſpectentur quatenus per illa divinæ voluntatis cognitionem poſſumus comperire. Ac uno verbo quoniam ipſe Deus hominis exiſtentiam & exiſtendi modum dedit, ex ſola hominis natura diligenter inveſtigata omnino perſpicuum fiet quodnam in condendis hominibus propoſitum Dei fuerit, atque ſic de regulis conſtabit ſecundum quas exigenda vita eſt, ut ejuſdem Dei propoſita, voluntatemque exequamur.

§. VI.

Triplex hominis ſtatus.

Quæ humanæ naturæ indagatio ut recte inſtituatur, revocandum illud quod ſuperius dictum eſt, poſſe nimirum hominem ſub triplici ratione ſtatuve conſiderari, qui triplex ſtatus ſingulares omnes alios ſtatus complectitur in quibus homo verſatur ſpe-

ſtatus prout ſe habet ad alias rerum naturas extra illum poſitas. Spectari primum homo poteſt ut eſt a Deo conditus, a quo vitam hauſit & rationem, omniaque bona accepit quibus fruitur. Deinde ſpectari poteſt in ſe ipſo, prout conſtat mente, & corpore, & multis variiſque inſtructus eſt facultatibus, tum natura ſeipſum amans propriæque ſuæ felicitatis neceſſario cupidus. Denique ſpectari homo poteſt ut eſt pars humani generis, & in terris ad alios ſui ſimiles homines admotus, quibuſcum naturali ſua conditione non impellitur modo, ſed etiam cogitur ſocialiter vivere. Ac revera ex ipſo facto perſpicuum eſt in triplici illo ſtatu quem memoramus totum humanæ naturæ poſitum eſſe ſyſtema, unde oritur maxime vulgaris & genuina officiorum noſtrorum diſtinctio ex triplici illo ſtatu deſumpta: aliis enim in Deum, aliis in nos ipſos, aliis in cœteros homines tenemur officiis. Quam diſtinctionem TULLIUS quoque adhibuit. „ Hæc, inquit, „ Philoſophia nos primum ad Deorum cul- „ tum, deinde ad jus hominum, quod ſi- „ tum eſt in generis humani ſocietate, tum „ ad modeſtiam magnitudinemque animi e- „ rudivit. *Tuſc. Quæſt. Lib.* I. *Cap.* 26.

§. VII.

Religio principium eſt Legum

PRIMO quidem Rationis ope Deum cognoſcimus ex ſe ipſo exiſtentem, & quem penes omnia ſunt: tum etiam cognoſcimus

ab eo

ab eo nos conditos, ſervatos, & beneficiis ſingularibus affectos. Igitur neceſſe habemus præſtantiſſimam Dei naturam confiteri eique nos omnino ſubdere, ex quo etiam natura conſequens eſt ut timeamus ne in Deum peccemus, ſed illum contra ſummo amore ſummaque reverentia debeamus proſequi, ejuſque voluntati penitus nos addictos profiteri. Utquid enim ſe Deus hominibus manifeſtum Rationis miniſterio exhibuit, niſi ut homines perſpecta illius natura præſtantiſſima, tum ei qua par eſt ratione pareant, tum eum colant, diligant, adorentque.

Naturalium quæ ad Deum ſpectant.

§. VIII.

Tot equidem tantarumque Dei virtutum is genuinus effectus eſt, ut ſummam in hominibus reverentiam generent. Amor autem gratique animi propenſio infinitam neceſſario ſubſequuntur Conditoris beneficentiam, in quem etiam ne peccemus ideo veremur, quia juſtus & potens eſt: tum eidem cogimur obſequi compertum habentes legitimum illius in nos imperium, ejuſque agnoſcentes benignitatem ſummamque ſapientiam, quæ nos convenienter noſtræ naturæ noſtræque felicitati perpetuo dirigit. Quorum omnium affectuum mentibus infixorum congeries nnncupatur Pietas.

Ex poſito Religionis principio conſequentia.

Pietas, ſi vera ſit, exterius ſe duplici modo prodet, *moribus* & *cultu*. Dico primum *moribus*: pius enim homo, atque ſic

affectus ut dictum eſt, ſponte ſua loquetur & ea ſe ratione geret quam Dei virtutibus & voluntati novit eſſe maxime conſentaneam; namque divinam voluntatem putabit ſuam regulam & exemplar eſſe, ex quo gignitur præſtantiſſimarum virtutum cultus.

Deinde præter illam colendi Dei rationem, quæ ſine controverſia veriſſima & maxime neceſſaria eſt, religionis cultor homo pietatis affectus illos lubens in ſe ipſo augebit atque in aliis excitabit. Hinc derivatur CULTUS EXTERIOR tum publicus tum privatus. Ille enim exterior cultus ſive ſpectetur ut prima & unica fere ratio Religionis & pietatis affectus in hominibus excitandi, fovendi, & perficiendi; ſive ſpectetur ut honor quem homines una Deo exhibent privata vel publica ſocietate coadunati; ſive utraque cauſa hæc conjungatur, equidem evincit Ratio omnimodæ neceſſitatis exteriorem cultum eſſe.

Exterioris quidem cultus variari forma poteſt, ſed quod in illo præcipuum eſt eo naturali documento definitur per quod vana ſuperſtitio & futiles ceremoniæ repudiantur. In eo enim poſitus hic cultus eſt, ut homines erudiat, pietatem illis & virtutem inſtillet, naturam Dei exhibeat qualis eſt, tum quæ hominibus mandata Deus præſcripſit, ea nos edoceat.

Ex enumeratis hominum officiis conſtat RELIGIO, quæ definiri poteſt *vinculum illud quo homines adhærent Deo & ejus Legibus* *ſer-*

ſervandis ſtudent, quia illum reverentur, amant timentque, dum ejus infinitas virtutes mirabundi ſuſpiciunt, eique ſe intelligunt penitus obnoxios, utpote ſuo conditori ſumme bono & ſumme ſapienti.

Noſtram igitur naturam ſtatumque indagantes, in ea qua nos ad Deum habemus ratione verum principium deprehendimus ex quo proxime fluunt Legum Naturalium principia ad Deum ſpectantia.

§. IX.

Noſtri ipſorum amor principium eſt Legum Naturalium ad nos ſpectantium.

Si deinde principium quæratur officiorum ad nos ipſos pertinentium, facile principium illud deprehendetur, modo interiorem hominis indolem, & in eo creando Dei conſilium expendamus, tum in quem finem homines inſtructi ſint his animi & corporis facultatibus quibus conſtat eorum natura.

Evidentiſſimum porro eſt Deum in creandis hominibus illorum ſibi propoſitam habuiſſe ſalutem, perfectionem, atque felicitatem. Quod Dei conſilium manifeſto arguitur tum ipſis facultatibus quibus hominem Deus inſignivit, quarum quævis ad memoratos fines confert, tum inexſuperabili illa propenſione qua bonum expetimus, a malo autem abhorremus. Hæc igitur voluntas Dei eſt, *ut quiſque ſuæ ſaluti & ſuæ perfectioni ſtudeat, quo nimirum convenienter ſuæ naturæ & conditioni, quantam poteſt felicitatem adipiſcatur.*

Quæ cum ita ſint, affirmari poteſt *noſtri ipſorum amorem* (amorem dico ſanum rectumque) primum principium eſſe officiorum ad nos ipſos pertinentium; quatenus hic noſtri ipſorum amor ab humana natura indivulſus, & ab ipſo naturæ conditore inditus manifeſtam nobis facit Dei voluntatem de officiis ad nos ipſos ſpectantibus.

Sed omnino advertendum eſt noſtri ipſorum amorem in principium regulamque verti non poſſe, niſi recta ratione dirigatur convenienter noſtræ naturæ noſtræque conditioni. Hic enim unicus modus eſt quo divinæ voluntatis interpres fiat noſtri ipſorum amor, qui ſic adtemperandus eſt, ut neque Religionis neque ſociabilitatis Leges impugnet. Alioquin amor ille innumeras iniquitates pareret, eſſetque nobis admodum exitioſus, quoniam noſtrarum calamitatum iniquitas in nos ipſos recideret.

§. X.

Quæ ex poſito principio Naturales Leges oriantur?

Ex quo ſic poſito principio facile deducuntur Leges naturales & officia ad nos ſpectantia. Id primum in noſtræ felicitatis deſiderio continetur, ut noſtræ ſaluti invigilemus. Deinceps, cœteris paribus, potior menti quam corpori cura impendenda eſt, & nihil quidquam omittendum quo noſtra ratio perficiatur diſcatque a veris falſa, ab utilibus noxia ſecernere, & ſufficientem earum rerum cognitionem aſſequatur quæ ad

nos

nos attinent, & de quibus rectum judicium eſt; atque in hoc poſita eſt intellectus perfectio ſive *Sapientia*. Sed comperta rerum natura ulterius ſequitur, ut perpetuo conſtantique judicio ad illud impellamur quod Ratio ſuadet, quidquid ex adverſo cupiditates inſurrent. In hoc enim poſita VIRTUS eſt, & per hoc humana voluntas evadit perfecta, ſi ea ſit noſtræ mentis vis atque conſtantia, ut perſeveranter SAPIENTIÆ conſiliis obſequatur: alioquin ſupervacuum foret intellectus lumen.

Hinc derivantur peculiares omnes regulæ. Quæris, v. g. num Lege Naturali cautum ſit ut noſtras cupiditates cohibeamus? Ego quo tibi reſpondeam viciſſim ſciſcitabor an cupiditates cohibere noſtræ ſaluti conducat, noſtræ perfectioni, noſtræque felicitati? Quod ſi concedes, nec enim potes negare, ſoluta jam quæſtio eſt. Vis etiam ſcire an laboris ſtudium, oblectamentorum licitorum ab illicitis diſcrimen, atque in ipſis licitis oblectamentis moderatio, an patientia, an conſtantia Naturali Lege præſcripta ſint? poſito jam principio utar quo tibi reſpondeam, atque ſi hoc tale principium cum quæſtione conſentiat, verum erit & legitimum meum reſponſum, quoniam dictum principium tuto me tramite ad propoſitam metam deducit; Dei namque retegit voluntatem.

§. XI.

§. XI.

Homo natus ad ſocietatem.

Sed inquirendum adhuc principium ſupereſt ex quo deducantur naturales illæ leges quæ ad mutua hominum inter ſe officia, ſive ad ſocietatem pertinent. Videamus itaque an qua ratione Religionis principium compertum eſt, eadem ratione poſſit Societatis principium comperiri: in quo operæ pretium eſt, ut id quod in facto verſatur, & rerum conditionem conſideremus, quid inde colligatur intellecturi.

Non ego ſolus in terris, ſed inter innumeros alios homines dego omni ex parte mihi ſimillimos, quo in ſtatu ipſe ordo naſcendi, ipſa me providentia conſtituit. Ex quo ſponte adducor ut putem non eam conditoris mentem fuiſſe, ut quiſque homo ſolitariam & a cœteris hominibus ſegregatam vitam ageret, ſed ut contra homines ſimul viverent ſocietate conjuncti. Potuiſſet proculdubio Conditor omnes ſimul homines creare, ſed diſſociatos, & unicuique ad hoc ſolitarium vitæ genus aptas & ſufficientes dotes indere: quod quia non ita contigit, hinc colligendum eſt voluiſſe Deum, ut quam inter homines latius patentem ſocietatem volebat inſtituere, a ratione naſcendi & ſanguinis communione initium ſumeret.

Quo rem penitius indago, eo magis mihi de mea ſententia conſtat. Pleræque enim hominis facultates, innata illi ſtudia, ejuſque

que imbecillitas atque neceſſitates totidem argumenta certiſſima ſunt ad ſocietatem conditum fuiſſe hominem.

§. XII.

Ea revera hominis indoles & natura eſt, ut extra ſocietatem neque poſſit vitam ſuam ſervare, neque ſuas facultates dotesque explicare & perficere, nec veram firmamque ſibi felicitatem comparare. Quæ ſors, quæſo, foret infantuli, niſi ejus neceſſitatibus conſuleret benefica manus & auxiliatrix? Eum profecto interire neceſſe eſt, ſi illum nemo curet. Quin etiam ejus imbecillitas atque inopia diuturnam opem deſiderant. Jam vero cum adolevit, rudis adhuc & inſcius eſt, cujus ita ſunt intricatæ cogitationes ut eas vix poſſit aliis notas facere, quem ſi ſibi ipſi permiſeris, aut erit agreſtis, ac fortaſſe truculentus feroxque, omnium vitæ jucunditatum ignarus, deſidia torpens, tædio confectus, qui primis & potiſſimum urgentibus naturæ ſuæ neceſſitatibus nequeat providere. Senectutem autem aſſecuti ſimus iterum imbecilles, quæ nos imbecillitas æque fere cæteris facit obnoxios ac in infanita fueramus. Nunquam aut melius intelligitur quantum homo homine indigeat, quam in gravi aliquo caſu premamur, vel morbo. Quænam eſſet in ſolitudine hominis ægrotantis conditio? Equidem ſola ſunt aliorum hominum auxilia quæ nos valeant a diverſis malis tueri eiſ-

1. Homini ſocietas omnino neceſſaria.

ve

ve mederi, & noſtram vitam jucundam beatamque præſtare, in quocumque ſtatu & ætate verſemur.

Cujus rei SENECA graphicam hanc tabulam exhibuit: „ Quo alio tuti ſumus „ quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc „ uno inſtructior vita, contraque incurſio„ nes ſubditas munitior eſt beneficiorum „ commercio. Fac nos ſingulos, quid ſu„ mus? præda animalium & victimæ, ac „ belliſſimus & facillimus ſanguis. Quo„ niam cæteris animalibus in tutelam ſui „ ſatis virium eſt: quæcumque vaga na„ ſcuntur, & actura vitam ſegregem, ar„ mata ſunt. Hominem imbecillitas cingit; „ non unguium vis, non dentium, terribilem cœteris ſecit. Nudum & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit quæ illum, obnoxium cæteris, validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. Itaque; „ qui par eſſe nulli poſſet ſi ſeduceretur, „ rerum potitur. Societas illi dominium „ omnium animalium dedit. Societas terris „ genitum in alienæ naturæ tranſmiſit im„ perium, & dominari etiam in mari juſ„ ſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſe„ nectuti adminicula proſpexit, ſolatia con„ tra dolores dedit. Hæc fortes nos facit, „ quod licet contra fortunam advocare. „ Hanc ſocietatem tolle, & unitatem ge„ neris humani, qua vita ſuſtinetur, ſcin„ des. *Seneca de benef. Lib. IV. cap.* 18.

§. XIII.

§. XIII.

Societas quoniam homini adeo neceſſaria eſt, ideo huic Deus naturam, facultates, & dotes indidit ad ſocietatem maxime conducentes. Qualis eſt, v. g. ſermocinatio, cujus ope noſtras nobis invicem cogitationes tanta facilitate & celeritate communicamus, cujus ſermocinationis extra ſocietatem nulla eſſet utilitas. Pari modo ſe habet ingenitus nobis ad imitationem inſtinctus, & hæc mirabilis noſtra ſtructura ob quam omnes cupiditates animique affectus ab unius cerebro ad alterius cerebrum tam facile permeant. Commovetur quis, & dolet, & nos commovemur dolemuſque. * *Homo ſum, humani nihil a me alienum puto.* Adit nos quiſquam gaudium vultu præferens, & nos cum illo gaudemus. Flet quis, licet ignotus, nec ejus fletuum cauſam noverimus, ejus nihilominus vices miſeremur. — 2. Natura ſua homo eſt ad ſocietatem aptiſſimus.

* *Terent. Heautont.*

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent
Humani vultus. **

** *Horat. Art. Poec. verſ. 101.*

Ejulat quis non alio nobis quam humanitatis vinculo conjunctus, in ejus auxilium properamus, uno ſenſuum inſtinctu citra ullam deliberationem impulſi.

Naturam præterea videmus alias aliis hominibus dotes partitam eſſe; ad quam enim

rem

rem aptiſſimus ille eſt, hic eamdem non poſſit præſtare; qui id viciſſim præſtabit quod alter nequeat aſſequi. Naturalis itaque hominum inopia eos reddit alteros alteris obnoxios, & quoniam variis dotibus præditi ſunt quibus poteſt alter alteri prodeſſe, hinc eſt ut alii aliis admoveantur conjunganturque. Quæ totidem manifeſta ſunt argumenta natos ad ſocietatem homines eſſe.

§. XIV.

3. Innata nobis popenſione ſocietatem expetimus.

ATQUE ſi inſitam noſtræ menti propenſionem attendamus, ad aliorum hominum ſocietatem expetendam ultro nos impelli deprehendemus, nobis autem inviſam ſolitudinem eſſe tanquam derelictionis & tædii conditionem. Nonnulli quidem homines interdum extitere, qui vitam degerent omnino ſegregem, ſed illorum ingenium aut adulteraverat ſuperſtitio, aut atra bilis infecerat, vel ea fuerunt indole quæ a naturali ſtatu abhorreret. Cauſam vero ſi quæras noſtræ hujus ad ſocietatem propenſionis, eam nobis propenſionem intelliges a Conditore ſapienter inditam eſſe, quoniam homines in ſocietate, tum ea quibus egent, tum plerarumque facultatum ſuarum explicandarum aptam occaſionem nanciſcuntur; atque præſertim in ſocietate ſuus eſt, benevolentiæ locus, amicitiæ, miſericordiæ, beneficentiæ, quos animi affectus fecit nobis natura ſuaviſſimos. Quæ enim

cha-

charitas ex ſocietate generatur eas habet illecebras, ut nihil ſit præ illis jucundius. Noſtram profecto mentem jucundiſſime titillat hæc opinio tum amicitia tum exſtimatione cæterorum dignos nos eſſe. Ipſi etiam doctrinæ novum accedit pretium, quoties ſe palam exerit: noſtri vero gaudii nunquam eſt major alacritas quam cum exterius ſe prodit exultans, aut in amicum pectus effunditur; creſcit enim altera ſui parte communicatum gaudium, quoniam lætantibus nobis ea ſupervenit jucunda cogitatio quod & alios lætos faciamus, unde fit ut nobis impenſius ſtudeant. Sollicitudo autem minuitur atque mitigatur cum altero communicata, quemadmodum fit levius pondus in quo ferendo ab aliis benigne ſublevamur.

Itaque ad ſocietatem undequaque allicimur, quam reddit egeſtas neceſſariam, dulcem vero efficit innata nobis ad eam propenſio, ac tandem ita natura comparati ſumus ut de conglutinanda inter homines ſocietate manifeſtum ſit Dei propoſitum.

§. XV.

Sociabilitat. Quæ ſint principia Naturalium Legum ad alios homines ſpectantium.

SED humana ſocietas quoniam non poteſt ſtare, nec felices exitus illos ſortiri ob quos a Deo conſtituta eſt, niſi ſe homines mutua charitate proſequantur, conſequens eſt noſtri omnium Conditoris Parentiſque voluntatem eam fuiſſe, ut quiſque ſe mutuo diligat, & id præſtet quodcumque in ſe

ſe eſt, ut humanæ ſocietatis utilitatem & commoda tueatur, & accipiendis dandiſque beneficiis hominum cum hominibus conjunctionem magis magiſque devinciat.

Itaque verum nobis principium ſtatutum eſt eorum officiorum quæ Naturalis Lex hominibus in homines præcipit. Quod principium SOCIABILITATIS nomine ab iis inſignitum fuit qui moralem diſciplinam profitentur. Sociabilitatem vero dicunt *affectum illum quo in homines benevoli ſumus, iis proſumus quantum in nobis eſt, illorum felicitatem cum noſtra conciliamus, & publicam ſemper utilitatem anteponimus privatis noſtris commodis.*

Quo penitius noſtram ipſorum naturam perſcrutabimur, eo magis perſuaſum habebimus Sociabilitatis nexum cum divina voluntate revera conſentire. Præterquamquod enim ex ſe neceſſaria ſociabilitas eſt, eam mentibus noſtris innatam deprehendimus. Altera quidem manu noſtri ipſorum amorem, altera vero in cæteros homines benevolentiam ſupremus nobis Conditor indidit. Quæ duplex propenſio, quamvis diverſa ſit, altera tamen alteri non adverſatur, ſed utramque nobis affinxit Deus, quo concordes agerent, ſibique invicem præberent amicam manum, non ut altera ab altera convelleretur. Quapropter quibus eſt ingenua & generoſa mens, ii tunc potiſſimum delectantur, ſi quando cæteris benefecerint, in quo naturam ducem ſequuntur.

§. XVI.

§. XVI.

Ex Sociabilitatis principio tanquam a proprio fonte promanant omnes Societatis leges, noſtraque omnia officia tum peculiaria, tum generalia.

Quæ Leges ex ſociabilitatis principio deriventur:

1. Propter eam quam Deus inter homines Societatem adglutinavit, in illis omnibus quæcumque ad Societatem ſpectant, cujuſque in ſuis factis PUBLICA UTILITAS ſumma Lex eſſe debet, & quiſquis ita tenetur prudentiæ monitis auſcultare, ne unquam privatum ſuum commodum quærat in publicæ utilitatis detrimentum. Naturam enim hominum decet eam ſequi quam ſuademus agendi rationem, unde conſequens eſt ut ea quoque ſit communis omnium Conditoris & Parentis voluntas.

1. Summa Lex eſto publica utilitas.

2. SOCIABILITATIS STUDIUM debet eſſe UNIVERSUM. Quibuſcum enim hominibus poteſt nobis aliquid intervenire, eos omnes complectitur humana Societas, quoniam in communi hominum natura & conditione fundatur. (a)

2. Sociabilitatis ſtudium debet eſſe univerſum.

3. Docet nos deinde Ratio æquum & commune jus omnibus hominibus in univerſum competere, quoniam omnes ejuſdem gradus generiſque ſunt, eaſdemque acceperunt a natura facultates, ut ſimul vivant, & eorumdem ſint commodorum participes. Itaque tenemur ÆQUALES NOS NATURA-

3. Servanda naturalis æqualitas.

(a) Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 15.

TUM CREDERE TUM HABERE; is enim naturam impugnat qui inter prima Societatis fundamenta non recenſet æqui juris principium illud quod Jureconſultis *æquabilitas Juris* dicitur, qua juris æquabilitate nititur MUTUORUM OFFICIORUM LEX, necnon hæc ſimpliciſſima, ſed quæ latiſſime patet Regula, debere nos eo animo in alios eſſe, quo in nos ipſos volumus alios affici, & in ſimili cauſa, qua ratione cupimus haberi, ita & cæteros habere.

4. In ipſos inimicos ſervanda benevolentia. Licita eſt ſui defenſio, ſed non vindicta.

4. Sociabilitas cum inter homines mutuæ ſit obligationis, quorum ea malitia vel iniquitas eſt, ut vinculum abrumpant Societatis, ii non poſſunt jure conqueri, ſi vel amice non habeantur, vel ab illis etiam impetantur quos offenderunt.

Igitur licita eſt intermiſſio exercendæ in inimicum benevolentiæ, cujus tamen nefas eſt radicem avellere. Quoniam enim ex ſola neceſſitate paritur jus eum vi repellendi, qui nos contra jus impetit; ſic etiam ex eadem neceſſitate petenda eſt regula & conſtituendus modus eſt hujus mali quod cuipiam poſſumus inferre, quocum in gratiam redire ſemper parati debemus eſſe, ubi nobis ſatisfecerit, nec ab illo ſupererit quidquam timendum.

Quocirca ſui ipſius JUSTA DEFENSIO a vindicta prorſus ſecernenda eſt. Effectus namque benevolentiæ in tempus & ob neceſſitatem intermittit defenſio, & ſociabilitati non adverſatur. Contra vindicta benevolentiam funditus tollit, & odium infen-

ſum-

ſumque animum generat, qui in ſe vitioſus & publicæ utilitati contrarius eſt, quique diſerte Naturali Lege damnatur.

§. XVII.

Ex his generalibus regulis multa ſane conſequuntur. Poſitorum principiorum peculiares conſequentiæ.

Nemini verbis factiſve nocendum, & illatum damnum ſarciendum eſt: neque enim ſtare ſocietas poteſt, ſi licitæ ſint injuriæ?

Hominum ſermonibus debet ineſſe veritas, & præſtanda fides eſt: quommodo enim credant hominibus homines, quidve ſit in ſocietate tutum, ſi decipere liceat & fidem fallere?

Unicuique non ſolum id tribuendum eſt quod ad illum pertinet, ſed præterea fieri & coli quiſque debet juxta ſuam conditionem dignitatemque; quia alios aliis ſubeſſe ſocietatis vinculum eſt, & nullus alioquin in familiis eſſet ordo, nec in civili adminiſtratione.

Quæ ſubditos obſequi publica utilitas jubet, eadem quoque poſtulat, ut qui præſunt, jura tueantur ſubditorum, & in eorum felicitatem habenas imperii moderentur.

Quin imo non alia ratione quam benevolentia beneficiiſque devinciuntur homines; nec quidquam ſic naturam humanam decet, aut ita prodeſt ſocietati, quam miſericordia, benignitas, beneficientia, & generoſa indoles. Unde TULLIUS.

Sed quoniam (ut præclare ſcriptum eſt a

PLATONE) *non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici: atque (ut placet ſtoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari; homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.* *

* Lib. 1. off. Cap. 7.

Quoniam igitur non ob aliam cauſam ſtudent hominibus homines quam propter benevolentiam æquitatemque, tum ob actiones utiles juſtaſque, nec aliter haberi poteſt ſocietas ſtabilis, pacata, florenſque, ideo colendæ ſunt dictæ virtutes, ac totidem officia ab ipſo Deo præſcripta: nam illud cum divina voluntate conſentit, quodcumque confert ad exequenda Dei conſilia.

§. XVIII.

Triplici noſtro principio inſunt omnia requiſita.

IGITUR pro deſcripto ſuperius triplici ſtatu hominis, tria quoque ſunt Naturalium Legum principia; 1. RELIGIO, 2. NOSTRI IPSORUM AMOR, & 3. SOCIABILITAS ſeu in alios homines benevolentia.

Quibus tribus principiis inſunt omnia quæ ſuperius requirebamus. Equidem vera ſunt, utpote deducta ex ipſa hominis natura, indole, ſtatuque in quo illum Deus conſtituit. *Simplicia* ſunt, & cujuſvis captui accommodata, quod in præſenti mate-

ria

ria præcipuum eſt: quoties enim de officiis agitur, ea principia conſtituenda ſunt quæ facile quivis intelligat; ineſt enim ſemper periculum in ea mentis ſubtilitate quæ ſemotas novaſque vias ſectatur. Ac tandem hæc noſtra principia *ſufficientia* ſunt & *uberrima*, quippe quæ noſtra omnia officia complectantur, & hominibus in quocumque ſtatu Dei voluntatem notam faciunt, ſive homines in ſe ipſis ſpectentur, ſive prout ſe habent ad alias res creatas.

§. XIX.

Adnotationes in ſententiam Puffendorfii.

PUFFENDORFIUS quidem non tot admittit principia, & SOCIABILITATEM unicum ſtatuit Legum Naturalium fundamentum, quæ ſententia merito improbatur ut manca. Neque enim ex ſociabilitatis principio deducitur proprium proximumque officiorum noſtrorum fundamentum: quoniam quæ ad Deum officia pertinent, vel ad homines ſingulos referuntur in ſe ipſis ſpectatos, ex proprio & proximo ſociabilitatis fonte ducta non effluunt, ſed habent proprium ſuum & peculiare fundamentum. Ponamus hominem in ſolitudine, erunt illi nihilominus ſervanda plura officia naturalia, quale eſt Deum amare & venerari, ſe ipſum ſervare, & innatas ſibi facultates quantum poteſt excolere. Sociabilitatis principium fateor latius patere, quocum etiam noſtra alia duo principia natura cohærent, quæ tamen cum ſociabilitatis principio con-

fundenda non ſunt, habent enim propriam ſuam vim, nec a ſociabilitate pendentem. Itaque noſtrum triplex principium haberi debet ut organum triplex, ex quo totius humanitatis ſyſtemati ſuus motus & actio eſt, quæ tria organa aliud ab alio ſecernuntur, ſed conjunctis viribus conſpirant ad exequenda Conditoris propoſita.

§. XX.

Puffendorfius plus æquo vituperatus.

VERUMTAMEN plerique illi quibus improbatum eſt Puffendorfii ſyſtema, utpote in ipſo ſuo principio mancum, plus æquo criticæ indulſerunt, quod in excuſationem Puffendorfii dictum volumus juxta rectam Barbeyracii adnotationem. Profitetur Naturalis Juris egregius ille inſtaurator Puffendorfius ſe mutua hominum inter ſe officia explicanda proprie aggreſſum eſſe: (*a*) qua in re opus illi fuit unico ſociabilitatis principio. Noſtra in Deum officia, judice Puffendorfio, pars ſunt Theologiæ naturalis; in quibus autem libris Naturale Jus diſceptatur, Religio non habet locum, niſi quatenus eſt ſocietatis columen firmiſſimum. Officia autem quæ ad homines pertinent in ſe ipſis conſideratos, ea Puffendorfius partim ex Religione deducit, partim ex ſociabilitate. (*b*) Cujus opus ſane fuiſſet ſuis par-

(a) Vid. *de Jur. Nat. Gent. & Lib. II. Cap. III.* §. 19. *Specimen controverſ. Cap. V.* §. 25. *Spicileg. controverſ. Cap. I.* §. 14.

(b) Vid. *Off. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. III.* §. 13.

partibus magis abſolutum, ſi omnes ſtatus hominis amplexus ſcriptor ille, cujuſvis ſtatus propria & apta principia poſuiſſet, ut hinc ſingularia quævis officia elicerentur. Hæc enim legitima ratio eſt Juris Naturalis explanandi.

§. XXI.

Quæ ſit officiorum noſtrorum inter ſe cohæſio?

Cui Naturalis Juris explicandi rationi tanto magis inſiſtendum erat, quod etſi officia noſtra ad res diverſas referantur, deducanturque ex diverſis principiis, nihilominus, ut jam indigitatum eſt, natura inter ſe cohærent, aliudque, ut ita dicam, ſe immiſcet alii, ſibique mutuam opem præſtant, unde qui aliud colit, & alia colet facilius certiuſque. Qui, v. g. Deum timet venerabundus, ejuſque omnino voluntati addictus eſt, is certe non ſolum officia ea exequitur quæ ad ſe ipſum proprie pertinent, ſed & ſingulis hominibus ac univerſæ ſocietati præſtabit quidquid Naturali Lege præcipitur. Certiſſimum etiam eſt, quod quibus officiis noſtra ipſorum agendi ratio temperatur, hæc eadem officia plurimum conferant, ut in cæteros homines qualem decet agendi rationem ineamus. Quam enim utilitatem hominum ſocietas ex eo percipiet cujus inculta penitus ratio eſt, & cujus ingenium animuſque neque ſapientiæ neque virtuti aſſuefacta ſunt. Contra præſtantiſſima ſunt ab eis expectanda qui ſuas facultates doteſque ideo ſumma cu-

ra excolunt, ut & ſuam & aliorum promoveant felicitatem, cujus propoſiti magna ſane nobilitas eſt. Igitur quicumque vel in Deum pietatem, vel ad ſe ipſum ſpectantia officia prætermittit, hoc ipſo in alios homines iniquum ſe exhibet, quia pravitate ſua communem felicitatem imminuit. At vero qui pietatis, juſtitiæ, & charitatis eo ſenſu afficitur quem vult Religio & ſociabilitas, hic ideo ſuæ felicitati ſtudet, quoniam juxta divinæ providentiæ conſilium ſingulorum felicitas ſejungi nequit hinc a Religione, illinc a communi felicitate ſocietatis, cujus quiſque pars eſt. Aberrant ergo & in contrariam partem aguntur quicumque felicitatem aventes comparare ſemotam a communi felicitate rationem ineunt. Sic ſe habet mirus ille concentus quem inter varias ſyſtematis humani partes divina ſapientia interpoſuit; & certe quanta poſſunt homines felicitate fruerentur, ſi tam frugiferis Naturalium Legum præceptis ſe regendos permitterent.

§. XXII.

Quomodo inter ſe noſtra quandoque officia pugnent?

SED quamquam officiorum noſtrorum tria præcipua capita inter ſe cohæreant, nihilominus inter illa naturalis ordo interjacet. Ex hoc autem ordine dijudicari poteſt quodnam officium alteri ſit anteponendum, cum ita ſe res habent ut officia noſtra tanquam inter ſe luctentur, nec æquali ratione poſſint omnia ſervari.

Jam

Jam ſi quæratur quomodo poſſit in univerſum ordo inter ſe officiorum dijudicari, reſpondeo *minori obligationi anteponendam illam quæ potior eſt*. Tum deinde ut dignoſcatur quæ potior ſit obligatio, noſtrorum officiorum attendenda natura eſt, quemve habeant neceſſitatis & utilitatis gradum: hæc enim in quavis re certiſſima ratio eſt intelligendi quæ ſit Dei voluntas. Quibus ita poſitis quaſdam in præſens argumentum regulas ſtatuemus.

1. *Quæ ſunt hominis in Deum officia ſemper quibuslibet aliis præſtant*. Neque enim ulla validior & ſtrictior obligatio eſt, quam quæ nos ſumme bono, ſummeque ſapienti Conditori noſtro devincit.

2. *Quoties privatum noſtrum commodum cum publica pugnat utilitate, publica utilitas anteponenda eſt*. Alioquin rerum interverteretur ordo, humana ſocietas a fundamentis quateretur, & adverſa fronte impugnaretur Dei voluntas, qui cum partem ſubjecerit toti, nobis omnimodam obligationem impoſuit, ut nunquam a publicæ utilitatis ſuprema Lege diſcederemus.

3. *At ſi cætera paria ſunt, pugnetque noſtri ipſorum amor cum aliquo ſociabilitatis officio, vincat noſtri ipſorum amor*. Nam quoniam unicuique directo primumque demandata eſt ſua ſalus & ſua felicitas, conſequens eſt, ut quoties omnia paria ſunt, ſibi quiſque potius ſtudeat quam alteri.

4. *Quod ſi tandem inter ſe pugnent ad nos ipſos ſpectantia duo officia, vel pugna ſit in-*

ter ſe duorum ſociabilitatis officiorum, anteponatur illud cujus cum maxima ſit utilitas, maximum quoque momentum eſt. (*a*)

§. XXIII.

Naturale Jus *obligans*: Naturale Jus *ſimpliciter permittens*.

HACTENUS ea expoſuimus quæ proprie pertinent ad Legem Naturalem *obligantem*. Hæc autem Lex obligans circa illas actiones verſatur in quibus vel diſcrepantia vel neceſſaria convenientia cernitur cum natura ſtatuque hominis, propter quam Legem neceſſario tenemur alia potius quam alia ratione nos gerere. Sed ex iis quæ ſuperius dicta ſunt (*b*) conſequens etiam eſt, ut alia Naturalis Lex admittatur, quæ ſe habet in modum *ſimplicis permiſſionis*, unde quibuſdam in rebus poſitum in arbitrio noſtro eſt ut vel agamus vel non agamus: ob quam etiam ſimplicis permiſſionis Legem quia cœteri homines tenentur nobis non obſiſtere, ideo noſtra nobis libertas aſſeritur in iis quæ voluntati noſtræ permittuntur.

Legis permittentis generale principium eſt, *quod Jure atque ad arbitrium noſtrum eas res facere poſſumus vel omittere quæ non præcipuam & omnimodam diſcrepantiam vel convenientiam habent cum natura ſtatuque hominis, niſi hæ res vel præcipiantur, vel prohibeantur aliqua Lege poſitiva, cui ob aliquam cauſam teneamur parere.*

Cujus

(*a*) Vid. *Jus Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 15. *& notam* 5. *Barbeyracii.*
(*b*) Vid. *ſup. Part. I. Cap. X.* §. 5. & 6.

Cujus principii veritas ex ſe ipſa innoteſcit. Conditor enim cum hanc inter alias hominibus facultatem indiderit, ut ad lubitum ſuas actiones temperent, certum eſt quod in quibus rebus vel diſerto mandato vel aperta prohibitione humanarum facultatum uſus coarctatus non eſt, poſſint homines ad arbitrium ſuum pro ſua prudentia ſe gerere. Qua permittente Lege conſtituuntur omnia jura, quorum ea natura eſt, ut ea poſſimus exercere vel non; eadem in totum vel pro parte retinere vel remittere; atque ob hanc renunciationem quandoque fit, ut quæ actiones in ſe ipſis licitæ erant, & cujuſque arbitrio permiſſæ, jam imperio Principis præcipi valeant aut prohiberi, atque ſic obligationem inducant.

§. XXIV.

Naturalis Juris genera duo; aliud *primarium*, aliud *ſecundarium*.

Ea ſunt quæ rectæ rationis ope comperiuntur in natura hominis, ejus indole ſtatuque primigenio. Sed quoniam primigenium ſtatum illum poſſunt homines diverſimode temperare, alioſque plures ſtatus adventitios adſcitoſque inire, inde fit ut Naturalem Legem quantum patet conſiderantibus, conſiderandi etiam ſint hi novi ſtatus hominibus ſuperjecti. Quæ autem jam principia ſtatuimus, eorum ſtatuum regula debent eſſe, quos ſibi homines facto ſuo adſciſcunt.

Atque ſic diſtinguenda ſunt Naturalis Juris genera duo: aliud eſt *primarium*, aliud *ſecundarium*.

NATURALE JUS PRIMARIUM illud eſt *quod proxime fluit ex hominis natura primigenia qualem illam Deus conſtituit, nullo interveniente facto hominis*.

NATURALE JUS SECUNDARIUM illud eſt *quod ortum habet ex aliquo facto humano, ſive humana quadæm conſtitutione*; qualis eſt Status Civilis, bonorum Dominium, &c.

Facile quis intelligat hoc Naturale Jus ſecundarium ex primario generari: vel potius per Naturale Jus ſecundarium intelligenda ſunt ipſa Juris Naturalis generalia præcepta cuivis peculiari ſtatui & variis conditionibus accommodata, quem peculiarem ſtatum, aut varias conditiones ſibi homines proprio facto ſuo pepererunt; id quod revera deprehenditur ſic ſe habere, quoties expenduntur officia ſingularia. (*a*)

Mirabitur forſitan aliquis nos in conſtituendis Naturalium Legum principiis varias de hac materia Doctorum opiniones prætermiſiſſe. Sed veros hauriendorum principiorum fontes maluimus indigitare, tum deinde ipſa principia ſtatuere, quam diſceptationem aggredi quæ noſtri hujus operis propoſitos fines excederet. Nam ſi quæ vera ſunt in argumento noſtro principia, ut ita dicam, arripuimus, ex iis cætera facile judicabuntur. Si quis autem latiorem & magis enucleatam explicationem requirat, eam ſibi poterit nullo labore parare PUF-

FEN-

(*a*) Vid. *Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I.* §. 10. & *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 22.

FENDORFIUM evolvendo, qui varias de hoc argumento Jureconſultorum ſententias refert, iiſque ſententiis opiniones ſuas adnectit ſane prudentiſſimas. (*a*)

CAPUT V.

NATURALES LEGES *ſufficienter* PROMULGATÆ *ſunt*, *quæ propria ſit illarum* INDOLES, *&* *quam* OBLIGATIONEM *inducant*, *&c.*

§. I.

Deus Naturales Leges ſufficienter hominibus notas fecit.

NATURALIUM Legum ita explicata principia ſunt, earumque dignoſcendarum ſic aperte demonſtrata ratio eſt, ut jam merito quæri nequeat an Deus Naturales Leges ſufficienter promulgarit? Quod enim nemini denegatum eſt Rationis naturale lumen quibuſvis manifeſta facit Naturalium Legum principia, quibus ex principiis omnia ſua officia valent deducere, quo ſenſu intelligendum eſt tritum illud, ejuſmodi Leges natura omnibus hominibus innoteſcere. Neque enim cum quibuſdam exiſtimandum eſt, Naturalem Legem nobis, ut ita dicam, congenitam, primoque vitæ noſtræ momento animis noſtris infixam eſſe; eſt enim merum illud & inutile prorſus figmentum, cujuſque experientia ipſa falſi-

(*a*) Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 1.... 14.

falſitatem arguit. Hoc igitur unicum aſſeri poteſt, ea videlicet Juris Naturalis præcepta, quæ latiſſime patent, & quorum maximum momentum eſt, ſic ex ſe ipſis perſpicua & manifeſta eſſe, eamque cum noſtra natura & mente convenientiam habere, ut eiſdem, ſtatim ut propoſita ſunt, aſſentiamus: & quoniam ab infantia his opinionibus aſſuefacti atque ad illarum veritatem inſtituti ſumus, inde fit ut illas putemus nobis congenitas eſſe.

§. II.

Homines in dignoſcendis Legibus Naturalibus ſibi mutuam opem præſtant.

Cæterum cum homines dicimus Naturalium Legum cognitionem Ratione duce poſſe adipiſci, non ideo alieni hac in re auxilii negamus utilitatem. Quibus enim in excolenda ſua mente adhibita potior cura eſt, ii cæteros erudire, ſuiſque documentis ignarum & rude vulgus hominum poſſunt informare. Quippe Deus hominem ſocietati demandavit, ad quam finxit illum idoneum; unde quæ in cognoſcendis Legibus Naturalibus ab aliis præſtatur nobis opera non minus naturalis cognoſcendarum Legum habenda ratio eſt, quam ſi Leges illas propria ingenii noſtri luce comperiſſemus.

Neque enim ii ſunt omnes homines qui poſſint accurate Naturalium Legum enucleare principia, ex iiſque manantes conſequentias deducere. Satis hoc eſt, ut minus ex ſe ipſis perſpicaces mentes ea tamen prin-

principia valeant intelligere ſibi ab aliis explicata, tum dignoſcere quam vera & neceſſaria ſint officia ex illis principiis orta, nimirum principia & officia illa cum propria ſua natura conferentes. Quod ad homines abjectioris ingenii ſpectat, illi fere exemplorum, conſuetudinis, auctoritatis, alicujuſve præſentis commodi & ſub ſenſum cadentis impulſu ducuntur. Quidquid ſit, omnibus exploratis merito dici poteſt Naturalem Legem ſufficienter promulgatam eſſe, ita ut nullus ætatem adeptus qua valet ratiocinari, tum etiam ſui compos, in ſui excuſationem obtendere poſſit Naturalium Legum inſuperabilem ignorantiam.

§. III.

Ea conſtituta ſunt nobis Naturalium Legum principia, ut ex illis principiis earum Legum veritas arguatur.

SED hic ultro ſe iſtud attendendum offert. Namque ſi penitius eam rationem expendamus, qua nobis Naturalium Legum principia conſtituta ſunt, ex hac ipſa conſtituendorum principiorum ratione novum argumentum exorietur quam veræ ſint Naturales illæ Leges. Omnem ſepoſuimus nimis reconditam, & a communi captu hominum remotiorem conſiderationem; quæ in facto conſiſtunt, rerumque naturam & ſtatum unice perſcrutati. Hæc enim noſtra principia hauſimus ex ipſa hominis natura, ejuſque cum cæteris rebus creatis convenientia, unde exſurgit ſyſtema tam arcte tamque neceſſario cum hac hominis natura ſtatuque conjunctum ut nequeat alterum ab

altero

altero divelli. Quibus ſi addas quæ jam ſuperius diſputata ſunt, Naturales certe Leges earumque veritatem non poſſumus inficiari, niſi Rationis puriſſimam lucem abnegemus, Pyrrhoniorum aſſeclæ.

§. IV.

Naturales Leges divinæ benignitatis ſunt opus.

At ſi, quæ benevola Conditoris ſapientia eſt, Naturalium Legum principia compertu facilia ſint, ex illiſque orta officia vel minimum perſpicaces mentes poſſint dignoſcere, certum etiam eſt earumdem Legum non ita difficilem uſum eſſe. Quinimo Leges illæ tam apertam habent cum recta Ratione convenientiam & cum innatis homini propenſionibus, adeo cum noſtra perfectione & felicitate conſentiunt, ut plane conſtet ideo illas hominibus a Deo præſcriptas eſſe, quia benignus in homines Deus eſt. Quoniam enim natura per ſe exiſtens & per ſe ſumme felix, non alia de cauſa potuit alias naturas condere intellectu ſenſuque præditas quam ut illis benefaceret, ob eamdem benignitatis cauſam illis quoque leges injunxit. Non hominum Deus voluit libertatem conſtringere, ſed illud hominibus notum facere quod eis potiſſimum expediret, eſſetque ipſorum perfectioni & felicitati aptiſſimum; atque ut quibus legitimis cauſis impelli debebant majus pondus accederet, eiſdem imperii ſui adjecit auctoritatem. (*a*)

Unde intelligimus utquid ita ſe Natura-les

(a) Vid. *ſup. Part. I. Cap. X.* §. 3.

les Leges habeant. Etenim ut ſuus eſſet Conditoris propoſitorum exitus, quas Leges hominibus præcipiebat, cum eorum natura ſtatuque debebant conſentire, & non modo ſingulorum, ſed & totius humanæ ſocietatis perfectioni atque felicitati conſulere. Uno verbo: adhibendarum rationum modus gigni debebat ex propoſitis finibus.

§. V.

Ex humana inſtitutione non pendent Leges Naturales.

HUMANÆ profecto actiones earumque exitus natura inter ſe neceſſario differunt. Aliæ namque ex ſe ipſis cum natura ſtatuque hominis congruunt, aliæ autem non ſolum cum ea natura ſtatuque non conſentiunt, ſed illis etiam adverſantur. Aliæ actiones gignunt foventque ordinem, quem aliæ ſubvertunt. Aliæ perfectionem felicitatemque hominum promovent, aliæ illorum dedecus infortuniumque pariunt. Quas actionum differentias ſi quis confiteri nolit, næ is volens cœcutit, & tenebras habet pro luce. Hæc actionum diſcrimina tanquam digito tanguntur, & quidquid contrariæ ſententiæ fautores jactitent, vanæ in hoc argumento diſputationum ſubtilitates ſenſu, & experientia ſemper explodentur.

Non igitur aliunde quam ex ipſa humanarum actionum natura, earumque inter ſe differentiis & effectibus, vera Naturalium Legum fundamenta petenda ſunt; hinc enim edocebimur cur Deus quaſdam res prohibuerit, alias vero præceperit, Nec enim

in cœco arbitrio poſitæ ſunt Naturales Leges; ſed eæ ſunt quas Deus neceſſario debuit præcepiſſe, nec eis contrarias potuit condere. Ad ſummam vero Dei ſapientiam poteſtatemque non attinet ea præſtare quæ inter ſe pugnant & abſurda ſunt. Semper Deus in agendo juxta rerum naturam agit. Poterat ille quidem hominem creare vel non creare, eique naturam indere qualem habet vel diverſam. Sed quoniam voluit naturam condere ratione præditam apptamque ſocietati, neceſſe habuit tales Leges præcipere quæ cum hac natura conſentirent. Quinimo quorum ea ſententia eſt Naturalis Juris principia regulaſque ex Dei voluntate pendere, quin rebus inditam a ſe ipſo naturam attendat, ii Naturalis Legis *ideam* ipſam omnino pervertunt. Namque Naturales Leges niſi neceſſario deducerentur ex ipſa hominis natura, indole, ſtatuque, jam illarum non poſſemus veram cognitionem aſſequi, niſi nobis peculiari & evidentiſſimo Dei afflatu referarentur, aut quavis alia certiſſima ratione notas illas Deus nobis facere. Sed inter omnes convenit Naturale Jus ſolo Rationis lumine debere nobis innoteſcere, neque revera aliter nobis notum eſſe. Itaque Naturale Jus convellunt qui illud deducunt ex Dei voluntate rerum naturam omittentis; vel ſaltem jus illud plane fit incertum, quia ſic naturalis ratio nulla ſupereſt certo dignoſcendi an hæc vel illa res a Deo præſcripta vel prohibita ſit. Quapropter Naturales Leges ex Dei volun-
tate

tate procul dubio ſuam habent originem ; ſed quæ Dei voluntas hinc hominis naturæ conditionique accommodata eſt ; illinc cum ſumma Dei ſapientia congruit , qui finem quemdam nequit velle , niſi etiam velit quæ ſolæ conducunt ad eum finem rationes .

§. VI.

Noſtra cum Grotii opinione ſententia conſentit.

Neque abs re erit hic advertere quam inivimus rationem conſtituendorum Juris Naturalis principiorum ab iis pricipiis revera non differre quæ Grotius ſtatuit . Debuerat quidem magnus vir ille quæ excogitavit lucidius explanare . Quamquam , nec excepto ipſo Puffendorfio , qui in libros Grotii commentarios protulerunt , hujus ſcriptoris cogitata non bene aſſequuti ſunt in vitioſum orbem circumagi dicentes quæ Grotius ſtatuit Naturalis Juris principia . „ Si quæratur, inquit Puffendorfius , (*a*) „ quæ res materia ſint Legum „ Naturalium, reſpondetur Naturalium Legum materiam eſſe res eas quibus natura ineſt honeſtas vel turpitudo . Tum deinde ſi quæratur quænam ſint illæ res „ natura honeſtæ turpeſve , aliud nihil reſponderi poteſt niſi quod res natura honeſtæ turpeſve illæ ſint quæ materia ſunt Naturalium Legum . Sic diſputantem Grotium Puffendorfius inducit .

At vero Grotius itane revera diſputat?

(*a*) Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 4. *Apol.* §. 19.

tat ? Ipſum audiamus . „ *Jus Naturale*, inquit , poſitum eſt in quibuſdam rectæ „ Rationis principiis , quorum ope dignoſcimus an actio ſit moraliter honeſta turpiſve , pro illa quam habet convenientiam vel diſcrepantiam cum aliqua natura intellectu prædita & ad ſocietatem „ comparata ; unde etiam intelligimus , quoniam naturæ Deus auctor ſit , ab eo turpes actiones prohiberi , honeſtas autem „ præcipi . (*a*) „ In qua ego ratiocinatione principii petitionem quam dicunt nullam adverto . Cum enim quæritur , unde præſcriptis vel prohibitis actionibus ſua ſit honeſtas vel turpitudo ? Grotius non ita reſpondet uti reſpondens inducitur ; ſed contra dicit oriri honeſtatem illam actionum vel turpitudinem ex neceſſaria noſtrarum actionum diſcrepantia vel convenientia cum noſtra natura intellectu prædita & ad ſocietatem comparata . (*b*)

§. VII.

Is Naturalium Legum effectus eſt, ut illis teneamur noſtram agendi rationem accommodare.

Itaque Naturales Leges ſiquidem ex ſe ipſis ſervari poſſint , manifeſto ſint utiles , nec ſolum cum Dei natura , qualem recta Ratio nobis illam exhibet , ſed cum ipſa hominis natura penitus conſentiant , ac uno verbo ad legitimum ordinem plane adtem-

(*a*) Vid. *Grot: de Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I.* §. 10.

(*b*) Vid. *Not.* 5. *Barbeyr. in Jus Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 4.

temperatæ ſint, & ſufficienter innoteſcant, nullum dubium poteſt ſupereſſe quin ita conſtitutis Legibus obligemur; & omnino teneamur noſtram illis agendi rationem accommodare. Quinimo certiſſimum eſt quam Deus eo modo nobis obligationem imponit omnium obligationum validiſſimam eſſe, quia concurſu & conjunctione gignitur earum cauſarum quæ ad humanam voluntatem movendam aptiſſimæ & potentiſſimæ ſunt. Quippe conſiliis præceptiſque Rationis non tantum tenemur obſequi, quia ex ſe ipſis omnino hominibus expediunt, ſuumque fundamentum habent in rerum natura earumque inter ſe convenientia vel diſcrepantia; ſed quoniam præterea ſupervenit huc ſumma Dei auctoritas, cujus de ſervandis Naturalibus Legibus vel hoc ipſo clariſſime voluntas innoteſcit, quod ipſe rerum naturam hanc, earumque inter ſe convenientiam vel diſcrepantiam condidit. Uno verbo: Naturalis Lex nos *interiore* & *exteriore* obligatione devincit, unde quam maxima neceſſitas moralis paritur, & arctiſſime noſtra libertas adſtringitur, quin evellatur. (*a*)

Quæ cum ita ſint, Legibus Naturalibus ex animo debemus obſequi, quia nobis illarum juſtitiæ conſcii ſumus. Ac primo debet juxta Leges illas temperari quidquid vel animus ſentit vel ingenium percipit. Neque enim Naturalibus Legibus ſatisfaceret is, qui palam, ſed invitus & contrarium cupiens, illis rebus abſtineret, quæ Legibus prohibentur. Quemadmodum autem

(*a*) Vid. ſup. Part. I. Cap. VI. §. 13.

tem ea non licet cupere quæ non licet facere, ſic etiam ad noſtrum officium pertinet, quæ nobis præcipiuntur non tantum præſtare, ſed & probare eorumque utilitatem juſtitiamque confiteri.

§. VIII.

Naturalibus Legibus omnes homines obligantur.

Alterum hoc in Legibus Naturalibus præcipuum eſt, ut ſint *univerſales*; id eſt, ut illis nemine excepto cuncti homines teneantur. Neque enim ſolum omnes homines æqualiter imperio Dei ſubjacent; ſed præterea quoniam Leges Naturales ſuum habent fundamentum in ipſa natura ſtatuque hominum quibus Rationis ope innoteſcunt, prorſus evidens eſt quod & omnibus hominibus neceſſario conveniant, iiſque omnes obligentur, quin vel unus excipiatur, quodcumque ipſo facto inter illos diſcrimen interſit, & in quacumque conditione verſentur. Atque ob æqualem illam omnium obbligationem a Legibus *poſitivis* Naturales Leges ſecernuntur: nam *poſitiva* Lex ad quoſdam tantum homines quamdamve ſocietatem ſpectat.

§. IX.

Grotii ſententia in Jus Divinum poſitivum univerſale.

Grotius quidem (a) eumque ſequuti plures Theologi & Jureconſulti contenderunt aliquod eſſe Jus Divinum *Poſitivum* & *univerſale*, quo omnes homines obligaren-

(a) Vid. *De Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I. §.* 15.

rentur, ſtatim ut illis innotuiſſet, ſed 1. Si cjuſmodi Leges extarent, quoniam non poſſent ſolo rationis lumine comperiri, neceſſe foret ut apud omnes gentes evidentiſſimo modo promulgatæ fuiſſent, id quod probari nequeat. Sin dicas hiſce Legibus illos tantum obligari quibus innotuerunt, tollitur ergo harum Legum *Univerſitas*; nam omnium hominum cauſa conſtitutæ dicebantur. 2. Præterea Leges Divinæ Poſitivæ ſimulque Univerſales omnibus omni tempore omnique in loco deberent utiles eſſe, quod ut ita ſe haberet pro divina ſapientia & benignitate neceſſe erat. Sed illæ Leges ita ſe habere non poſſunt niſi cum univerſa natura humana conſentiant, atque ſic unum & idem ſunt cum Legibus Naturalibus. (a)

§. X.

Leges Naturales ſunt immutabiles, & illarum nemo immunis eſt.

Jam ſuperius adnotatum eſt Naturales Leges divina quidem voluntate conſtitutas eſſe, ſed cujus voluntatis ſua ſit certa ratia; Leges enim illæ ſuum habent fundamentum in ipſa rerum natura earumque inter ſe convenientia vel diſcrepantia. Unde conſequens eſt Naturales Leges *immutabiles* eſſe, neminemque illarum immunem. Quæ altera eſt Naturalium Legum propria indoles, quæ ſecernuntur a quavis alia Lege poſitiva tum divina tum humana.

(a) Vid. *Not. 6. Barbeyracii in Puffend. Jus Nat. & Gent. Lib. I. Cap. XI.* §. 18.

Digitized by Google

Quæ Naturalium Legum immutabilitas neutiquam perfectiſſimi Dei ſummo imperio adverſatur, nec ejus ſubjicit aut coarctat libertatem. Deus humanæ naturæ cum ſit ipſe conditor neceſſario aut vetat aut præcipit quæ cum illa natura conſentiunt vel ab ea diſcrepant, atque ideo nec poteſt Naturales Leges immutare, nec earum quemquam immunem facere (a). Glorioſa ſane neceſſitas illa eſt qua Deus ipſi ſibi perpetuo conſtat. Quod autem non poſſit ſibi non conſtare, tantum abeſt ut hoc circumcludat imminuatve Dei virtutes, quarum contra ſplendorem auget & in aperta luce præſtantiam collocat.

§. XI.

De Naturalium Legum æternitate.

Si res eo ſenſu intelligatur quo illam expoſuimus, Naturales Leges licebit etiam æternas, nuncupare; ſed ut id dicatur quod verum eſt, illud *æternitatis* vocabulum parum ex ſe accuratum eſt, aptiuſque tenebris in hanc materiam affundendis quam pariendo lumini. Qui primi Legum æternitatem induxerunt hoc ſibi videntur habuiſſe propoſitum ut Civilium Legum novitati crebriſque mutationibus Naturalium Legum æternitatem illam opponerent. Hoc igitur unice aſſeruerunt, Jus nempe Naturale prius eſſe Legibus v. g. Minois, Solonis,

(a) Vid. *Puffend. De Jur. Nat & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 6. *& Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I.* §. 10.

lonis, aut cujusvis alterius Legislatoris; quoniam eſt humano generi coævum, in quo quidem eorum vera opinio eſt. At ſi cum pluribus Theologiæ & moralis Diſciplinæ magiſtris Naturalem Legem dixeris ipſi Deo coævam eſſe, opinionem propones, quæ ſi diligenter expendatur, non ita vera deprehendetur. Naturalis enim Lex ſiquidem hominum cauſa conſtituta eſt, debebat prius humanum genus exiſtere, quam illius cauſa Naturalis Lex conſtitueretur. Denique ſi dicas Naturales Leges idcirco æternas nuncupari, quia ab omni ævo notæ Deo fuerunt, equidem Naturalibus Legibus nihil tribuis quod illis commune non ſit cum eis omnibus quæcumque exiſtunt. Naturalium vero Legum immutabilitatem ii ſemper confeſſi ſunt, quibus paulo accuratius perſpectæ ſunt illæ Leges. (a)

Noſtra de Legum immutabilitate non poteſt melius abſolvi diſputatio, quam altera prorſus egregia in idem argumentum Ciceronis diſputatione quam nobis ſervatam tranſmiſit LACTANTIUS: (b) „ Eſt quidem vera Lex, recta Ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos fruſtra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo aut vetando movet.

(a) *Cic. de Rep. Lib. III. apud* Lactant. *Inſtit. Div. Lib. VI. Cap. VIII.*

(b) Vid. *Inſtit. Lib. I. tit. II. §. 11. Noodi Probabil. Juriſp. Lib. II. Cap. XI.*

„ vet. Huic Legi nec obrogari fas eſt,
„ neque derogari ex hac aliquid licet, ne-
„ que tota abrogari poteſt. Nec vero aut
„ per Senatum, aut per Populum ſolvi hac
„ Lege poſſumus: neque eſt quærendus ex-
„ planator aut interpres ejus alius. Nec e-
„ rit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia
„ nunc, alia poſthac; ſed omnes gentes,
„ & omni tempore, una Lex, & ſempiter-
„ na & immutabilis continebit; unuſque
„ erit communis quaſi Magiſter & Impe-
„ rator omnium Deus. Ille Legis hujus
„ inventor, diſceptator, lator: cui qui non
„ parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam ho-
„ minis aſpernabitur; atque hoc ipſo luet
„ maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia,
„ quæ putantur, effugerit. „

Sed abunde ſatis de Naturali Lege diſputatum, quatenus eſt ſingulorum in ſuis actionibus regula. Quo autem integrum ſyſtema hominis amplectamur, noſtraque, quantum patent, principia explanemus, dicendum etiam aliquid eſt de regulis illis quas gentes aliæ in alias tenentur ſervare, quaſque vocamus *Jus Gentium*.

CA-

CAPUT VI.

De Jure Gentium.

§. I.

Qua ratione Civilis Societas conſtituatur.

Varias inter humanas conſtitutiones primum locum ſine controverſia tenet Societas Civilis vel Politicum corpus, quæ omnium Societatum merito habetur perfectiſſima, atque ideo per excellentiam nominatur Status.

Simplex ſocietas humana ex ſe ipſa, & quantum ad eos attinet quibus conſtat, æqualitatis ſocietas eſt, in qua nemo nemini, ſed omnes uni Deo ſubjiciuntur. In ea nulli partum eſt naturale & primigenium Jus cæteris imperandi; ſed quiſque de ſe ipſo & de rebus ad ſe pertinentibus ad libitum poteſt ſtatuere, nec ad aliud quidquam tenetur, niſi ut Naturalis Legis limites non prætergrediatur, & nemini damnum inferat.

Sed primigenius ille ſtatus hominis ſtatu Civili non parum immutatur. Etenim imperio ſemel conſtituto non amplius gaudent homines primigenia ſua libertate, ſed alii ſubjacent aliis. Quoniam enim cujuſque privati voluntas vireſque Principi tanquam ſequeſtro creditæ jam in Principe coadunantur, hinc eſt, ut quibus ſocietas conſtat privati omnes fiant *ſubditi*, atque ſic obſequi teneantur, ſuamque agendi rationem ad eas Leges accommodare quas Princeps conſtituit.

§. II.

§. II.

Status Civilis Naturalem Statum non evertit, ſed perficit.

SED ſtatus naturalis quantumvis Principatu & publica adminiſtratione immutetur, ne tamen ideo credas ſocietatem naturalem per ſtatum civilem proprie convelli, neve etiam putes, ea quæ hominibus inter ſe, tum ipſi Deo in homines neceſſario competunt, per eum Civilem ſtatum eradicari. Illud enim nec eſt phyſice nec moraliter poſſibile. Quin contra ſtatus Civilis non ſolum naturam ipſam hominis admittit qualis a Deo condita eſt, ſed pariter admittit primigeniam hominum conjunctionem ſocietatemque, & quæcumque in naturali ſocietate continentur; ac tandem ſalvum omnino manet quod homines Deo ejuſque Legibus naturale debent obſequium. Cui primo humanorum officiorum ordini tantum abeſt ut ſtatus Civilis noceat, quin contra conſtitutus ſtatus Civilis eſt, ut primus ille quem dicimus noſtrorum officiorum ordo plus haberet virium & ſtabilitatis. Civilis enim diſciplina excogitata eſt quo homines Naturalibus Legibus facilius perfungi, ſibique deſtinatum finem certius poſſent aſſequi.

§. III.

Societatis Civilis recta definitio.

QUAPROPTER ut recta CIVILIS SOCIETATIS definitio inſtituatur, dicendum eſt quod ea nihil aliud ſit quam *ipſa naturalis Societas, ſic adtemperata, ut in ea ſit Princeps,*

ceps, cujus ex voluntate pendet quidquid ſpectat ad Societatis felicitatem, ita ut auxiliante & curante Principe, poſſint homines eam ſibi certiori modo felicitatem parare quam natura expetunt.

§. IV.

QUÆLIBET Societas efficitur ex conſentientibus conjunctiſque plurimorum hominum voluntatibus propter aliquod commodum conſequendum. Inde fit ut hæ Societates habeantur uti *Corpora*, dicanturque *Perſonæ Morales*; quia reipſa corpora hæc una tantum voluntate diriguntur quæ omnes illorum motus ordinat. Quæ deſcriptio peculiariter acommodata eſt *Corpori Politico* ſeu *ſtatui* vel *Imperio*, cujus Princeps caput eſt, ſubditi autem membra ſunt; actiones vero ſubditorum Principis voluntate diriguntur. Igitur ſtatim atque conſtituta Imperia ſunt, eis perſonales proprietates quodam modo competunt, ita ut, habita utriuſque generis ratione, poſſit imperiis tribui quod ſingulis hominibus tribuitur, & quemadmodum ſingulorum hominum, ita etiam Imperiorum quædam ſint propriæ actiones, propria quædam Jura, & propria quædam officia quæ tenentur præſtare &c.

Imperia ſpectantur uti *perſonæ morales.*

§. V.

QUIBUS ita poſitis, ex Imperiorum *conſtitutione* ſocietatem dico exoriri hujus ſocie-

Quid ſit *Jus Gentium.*

cietatis ſimilem quam inter homines natura conglutinavit. Quibus igitur cauſis impelluntur homines ad fovendam inter ſe benevolam conjunctionem, propter eaſdem cauſas Populi eorumque Principes cum aliis Populis Principibuſque concordes animos inire debent.

Quamobrem neceſſe fuit ut quædam inter gentes Lex intercederet, per quam mutuum earum commercium ſanciretur. Hæc autem Lex alia non poteſt eſſe quam ipſa Lex Naturalis, quæ gentibus accommodata dicitur *Jus Gentium* vel *Lex Populorum*. Lex Naturalis, ut recte quidem cenſet HOBBESIUS, (a) duplex eſt: alia videlicet *Naturalis Lex hominis*, alia *Naturalis Lex Imperiorum*, quæ ultima dicitur *Jus Gentium*. Itaque Naturale Jus, & Gentium Jus revera ſunt unum & idem, nec aliter inter ſe differunt quam exteriori nuncupatione. Unde Jus Gentium proprie dictum, & prout eſt Lex a ſummo gentium Principe derivata, nihil aliud eſt quam *ipſum Naturale Jus, non ſingulis hominibus, ſed Populis, Gentibus, Imperiis, eorumve Principibus accommodatum, pro mutuo commercio mutuiſque Imperiorum commodis*.

(a) *De Civ. Cap. XIV.* §. 4.

§. VI.

Juris Gentium certa veritas.

QUOD Jus Gentium adeo verum & certum eſt, ut non poſſit in dubium revocari, eamque ex ſe ipſo vim habet, ut ei parere teneantur Populi vel eorum Principes. Nam

Nam ſiquidem ſanæ Rationis ope ſingulis hominibus in ſingulos homines officia quædam Deus præcipit, evidens prorſus eſt eam quoque Dei voluntatem eſſe, ut eadem officia colantur a Populis in alios Populos: ſunt enim Populi hominum ſocietates. (a)

(a) Vid. *ſup. Cap. V.* §. 8.

§. VII.

Juris Gentium principium generale. Quid ſit Ars Politica.

Verum ut de præſenti argumento accuratius quid diſſeramus, advertendum eſt naturalem inter ſe ſtatum Gentium ſocietatis & concordiæ ſtatum eſſe. Gentium quoque inter ſe ſocietas æqualitatis & mutuæ libertatis ſocietas eſt, in qua viget æquum Jus, ita ut aliæ idem teneantur aliis præſtare, quod ſibi ipſis præſtari volunt. Igitur Juris Gentium principium generale nihil aliud eſt quam Sociabilitatis generalis Lex, ob quam tenentur gentes, inter quas aliquod commercium intercedit, eadem officia viciſſim colere ad quæ ſinguli homines in alios homines natura obligantur.

Ex iis quæ modo dicta ſunt deduci poteſt *Artis politicæ* definitio, quam artem adeo neceſſe habent Populorum rectores apprime callere. Ars Politica, prout gentes exteras reſpicit, *eſt illa ſolertia qua Princeps conſulit ſaluti, ſecuritati, felicitati, atque honori Populi cui præeſt, Juſtitiæ & Humanitatis Leges reverendo, id eſt, nullum damnum cæteris Imperiis inferendo, ſed eorum, quantum pro ſapientia poteſt, utilitatem promovendo*. Quæ igitur in privatis vocatur pruden-

tia,

tia, in Principibus dicitur Ars Politica; quæ latiorem prudentiam amplectitur quam prudentia privatorum. Quoniam autem in privatis damnatur fraus utilitatem ſuam quęrens in aliorum detrimentum, ſic etiam eadem calliditas non minus in Principibus damnanda foret, qui cæteris gentibus nocendo ſubditorum ſuorum commodis ſtuderent. *Imperii ratio*, quæ toties jactitatur, ut Principum facta vel ſuſcepta propugnentur, vere non poteſt locum habere, niſi jungatur cum communi gentium utilitate, ſed quod idem eſt, cum immutabilibus humanitatis, fidei, & juſtitiæ regulis.

§. VIII.

Expenditur *Grotii* ſententia de Jure Gentium.

GROTIUS quidem fatetur Naturale Jus omnibus gentibus eſſe commune; ſed aliud excogitavit Gentium Jus poſitivum, & a Naturali Jure diverſum, quod nihil ſit aliud quam quoddam humanum Jus, cui propter omnium vel ſaltem plerorumque populorum voluntatem vis ineſt obligandi: (a) Cujus Gentium Juris præcepta, inquit Grotius, perpetua populorum conſuetudine, & Hiſtoriarum teſtimonio comprobantur.

Sed merito adnotatum eſt, hujuſmodi Jus Gentium a Naturali Jure diverſum, quod nihilominus ex ſe vim habeat volentes aut nolentes obligandi, merum figmentum eſſe quod nec minimo fundamento innititur. (b)

Ac

(a) Vid. *Grot. De Jur. Bell. & Pac. Lib. I. Cap. I.* §. 14.

(b) Vid. *Puffend. De Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 23. *cum not. Barbeyrac.*

Ac primo quidem gentium inter ſe omnimoda æqualitas & libertas eſt. Si quæ ſit igitur communis illis lex, certe non ab alio lata eſt illa lex, quam ab ipſo Deo communi omnium Domino.

2. Quod ſpectat ad conſuetudines diſerto vel tacito conſenſu gentium conſtitutas, his conſuetudinibus non ineſt vis omnes homines obligandi, nec qui per illas obligantur, in perpetuum obligantur. Etenim ex hoc ipſo quod diutiſſime quibuſdam in cauſis plures populi definita quadam ratione ſe invicem geſſerint, non ſequitur quod ſe in perpetuum ad eamdem rationem ſervandam adſtrinxerint: multo minus ſequitur quod aliæ gentes aliarum gentium conſuetudinibus teneantur adhærere.

3. Eo minus gentium conſuetudines obligationem inducunt, quod quandoque poſſint eſſe tum malæ, tum injuſtæ. Nonne vides tacito quodam conſenſu piraticam artem habitam eſſe legitimam inter eos populos qui nullo fœdere jungerentur? Videntur etiam quibuſdam gentibus in uſu fuiſſe arma venenata (a). An igitur dices fuiſſe illas Juris Gentium Leges, quibus Populi vere obligarentur? Quin potius hujuſmodi uſus immanes habendi ſunt, & quibus gens quævis æqua & bene morata debeat abſtinere. Quapropter ut recte dijudicetur an apud populos receptæ conſuetudines veram obligationem inducant, confugiendum ſemper eſt ad Naturale *Jus*, quod unum vere univerſum eſt.

(a) Vid. *Virgil. Æneid. Lib. X. verſ.* 139.

4. Itaque de hoc argumento unum hoc aſſeri poteſt, quod ubi ſcilicet inter gentes invaluit aliquis uſus ex ſe innocuus earum quævis non immerito cenſeatur huic uſui ſubdita, quamdiu contrariam voluntatem profeſſa non eſt. Hæc illa eſt omnis obligatio ex receptis uſibus parta, quæ ſane multum ab illa obligatione differt quam inducit Lex proprie dicta.

§. IX.

Duplex genus Juris Gentium; alterum *Neceſſarium & ex ſe ipſo obligans*: alterum *arbitrarium & pacto convento initum*.

Quarum hac in re ſententiarum pugna forſitan componetur, ſi Juris Gentium diſtingatur duplex genus. Exiſtit profecto Gentium Jus *Univerſale*, *neceſſarium*, *ex ſe ipſo obligans*, quod nulla ex parte differt a Naturali Jure, quodque idcirco eſt immutabile, & quo Populi Principeſve, intervenien-te etiam omnium conſenſu, ſolvi nequeunt, niſi violato officio. Sed & aliud eſt Jus Gentium quod liceat *arbitrarium* & *liberum* appellare, quippe quod tantum innititur pactis aliquot diſerte vel tacite conventis, quo non omnes obligantur, ſed ii tantum qui ſe ultro ſubjecerunt obligationi; nec obligantur niſi quamdiu volunt, ſiquidem ſemper eſt in eorum poteſtate, ut jus illud vel abrogent, vel ei derogent. Quibus adde, arbitrarium jus illud gentium ſuam vim omnem mutuari a Naturali Jure per quod jubemur pacta conventa exequi. Quidquid ad Jus Gentium vere ſpectat, ex alterutro genere pendet quod ſtatuimus. Hujus autem

tem duplicis Gentium Juris quam ſit neceſſaria diſtinctio liquebit, cum ſingulares quæſtiones expendentur, quæ vel ad bellum v. g. pertinent, vel ad Legatos, vel ad publica gentium pacta, tum ad dirimendas lites quæ in hujuſmodi cauſis inter Principes agitantur.

Obiter hic advertendum eſt, veterum Jureconſultorum Romanorum de Jure Gentium opiniones non ſibi ſemper conſtare, unde aliqua exiſtit in Legibus confuſio. Alii per *Jus Gentium* intelligebant Juris Regulas omnibus hominibus communes, atque inter eos Ratione duce conſtitutas, eaſque opponebant peculiaribus ſingularum gentium legibus. (Vid. *Leg. 9. ff. de Juſtit. & Jur. lib.* I. *Tit.* I.) Quo ſenſu *Gentium Jus* intellectum idem erat ac *Naturale Jus*. Alii Jus Gentium & Naturale Jus diſtinguebant, quemadmodum ULPIANUS in *Leg.* I. *dict. tit.* Gentium enim Jus dicebant illud quod homini convenit prout eſt homo, ab eo Jure diverſum quod eidem homini convenit, prout eſt animal. (Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 3. *not.* 10. Denique nonnulli utrumque illud Jus in Naturali Jure contineri dicebant. (Vid. *Leg. XI. ff. de Juſtit. & Jur.*) Atque hinc eſt ut apud bonæ notæ Latinos Scriptores Jus Gentium & Naturale Jus promiſcue uſurpentur. Unde Cicero *Lib. III. Offic. Cap. V.* ſcribit:
„ Neque vero hoc ſolum *Natura*, id eſt, *Jure*
„ *Gentium*, conſtitutum eſt, ut non liceat ſui
„ commodi cauſa, alteri nocere, &c.

§. X.

Superiorum adnotationum uſus.

Juris Gentium naturam originemque, qualem expoſuimus, operæ pretium eſt attendere. Nam præterquamquod plurimum ſemper prodeſt res vere dignoſcere, tum imprimis hæc cognitio neceſſaria eſt in iis quæ ad vitam recte inſtituendam pertinent. Atque ob hanc cauſam fortaſſis aliter Principum, aliter privatorum actiones reputatæ ſunt, quod Gentium Jus aliud ac Jus Naturale creditum eſt. Nihil enim magis uſu receptum quam illud in privatis hominibus damnari, quod vel laudatur in Principibus vel ſaltem excuſatur. Attamen omnino certum illud eſt quod jam demonſtratum fuit, nempe Juris Gentium præceptis non minorem auctoritatem ineſſe quam ipſis Naturalibus Legibus. Cum enim Deus æque ſit Juris Gentium ac Naturalis Juris auctor, utriuſque illius Juris pariter ſacra & ſancta poteſtas eſt. Uno verbo una eademque juſtitiæ regula omnibus omnino hominibus præſcripta fuit. Qui Gentium Jus Principes violant, par ſcelus admittunt privatorum ſceleri contra Naturalem Legem peccantium. Nec aliud eſt in utroque peccato diſcrimen, niſi quod peccantium Principum ſit fœdior culpa. * Nam ex pravis Principum actionibus multo majus exitium ſequitur quam ex privatorum peccatis. Quamquam ubi privatus peccat in privatum, ejus actio dicitur iniqua: at ubi Princeps alium Principem ci-

* Vid. ſup. Part. I. Cap. XI. § 12.

citra cauſam oppugnat, ejus ditionem invadit, urbes & agros vaſtat, hoc bellum vocatur, quod contra Jus fieri nefas eſt dicere. Promiſſa privato non ſervans privatus crimine damnatur: at in Principibus ſanctiſſimorum fœderum violatio habetur prudentia, nimirum artem callent regnandi. Principes quidem aliquam ſemper gerendi belli cauſam prætendunt, cæterum plane ſecuri an cauſa exiſtimetur juſta necne.

CAPUT VII.

PROLUSIO *in hanc* QUÆSTIONEM ; *Eſtne in humanis actionibus aliqua* MORALITAS, *quædam obligatio, quoddam officium*, ANTE CONDITAS NATURALES LEGES, *& ſepoſito Legiſlatore*.

§. I.

HUMANARUM actionum MORALITAS quoniam in univerſum conſiſtit in earumdem actionum cum Lege convenientia vel diſcrepantia, prout oſtendimus *Part. I. Cap. XI.* Si quis Naturales Leges admittit, conſequens eſt ut humanarum actionum *Moralitatem* ſtatuat in earum cum Naturalibus Legibus convenientia vel diſcrepantia. Atque de hoc inter omnes Jureconſultos, & Moralis Diſciplinæ Magiſtros convenit. Sed non ita ſibi conſentiunt de primo principio ſeu primigenia cauſa obligationis, & moralitatis.

Moralis Diſciplinæ Magiſtri varia ſtatuunt de primo moralitatis principio.

Plurimorum ſententia eſt nullum aliud moralitatis principium eſſe quam ipſam Dei voluntatem Naturalibus Legibus declarutam. Actionum *Moralitas*, inquiunt, neceſſario includit *obligationem*, non eſt autem *obligatio* ſine *Lege*, neque *Lex* abſque *Legislatore*. Quapropter ſi Legem, ajunt, tollas, atque ideo Legislatorem, jam neque Jus erit, nec obligatio, nec officium, nec ulla proprie dicta moralitas. (a)

Alii quidem fatentur Dei voluntatem revera principium obligationis eſſe, quæ idcirco Dei voluntas principium quoque eſt humanarum actionum moralitatis; ſed ulterius progrediuntur contenduntque ante latam Legem & ſepoſito Legislatore alias res ex natura ſua & per ſe ipſas honeſtas eſſe, alias vero turpes: quod præcipuum propriumque humanarum actionum diſcrimen ubi ſemel Ratio dignoverit, teneri homines alias quidem actiones uſurpare; ab aliis autem abſtinere; atque in hoc dicunt poſitum eſſe primum obligationis fundamentum, vel primam officii & moralitatis originem.

§. II.

In propoſitam quæſtionem principia. JAM propoſitæ quæſtioni lucem affundere poteſt id quod ſuperius dictum eſt de primigenia humanarum actionum Regula, tum de obligationis natura & origine (b). Sed quo-

(a) Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. II.* §. 6.

(b) Vid. *ſup. Part. I. Cap. V. & VI.*

quo magis ac magis quæſtio hæc dilucidetur, noſtrum iter remetiamur, remque a principio repetentes, genuino ordine præcipuas inter ſe de hoc argumento ſententias componamus, ex quibus deinde legitima concluſio eliciatur.

1. Statim quidem adverto, quamlibet actionem mere & ſimpliciter in ſe ipſa ſpectatam, prout eſt naturalis motus vel mentis vel corporis, omnino eſſe *indifferentem* experteinque cujuſvis *Moralitatis*.

Atque illud manifeſto arguitur ex eo quod eadem naturalis actio modo habetur *licita*, & etiam *bona*; modo *illicita* vel *mala*. Cædes hominis, v. g. in latrone facinus malum eſt; quod idem facinus bonum aut licitum eſt in carnifice, vel in Cive & milite vitam ſuam aut patriam ſuam inique oppugnatam tuentibus. Quod evidentiſſimum argumentum eſt hujuſmodi actionem in ſe ipſa ſpectatam, & prout eſt naturalium facultatum uſus, omnino indifferentem eſſe expertemque cujuſvis moralitatis.

2. Igitur quæ *phyſica* ſunt a *moralibus* diligenter ſecernenda. Naturalis ſane *bonitatis* vel *malitiæ* quoddam genus eſt in iis actionibus quarum ea propria & interna vis eſt, ut *utiles* ſint aut *noxiæ*, hominiſque gignant bonum vel malum phyſicum. Sed hæ actiones cum exitu ſuo comparatæ phyſicam tantum conſenſionem vel diſſenſionem continent, cui ſi immoremur, nulla huc uſque moralitas deprehenditur. Miſerum eſt tum phyſica tum moralia eiſdem vocibus ſæpe

enunttanda eſſe, unde percipiendarum rerum & cogitandi modus interturbatur. Utinam Linguæ ſic eſſent accuratæ ut diverſis nominibus efferri poſſent variæ rerum naturæ, variaque illarum conſenſio, & diſſenſio. Quamquam huic linguarum egeſtati Philoſophorum medentur definitiones & adnotationes quibus excutitur confuſionis caligo.

3. At ſi longius progrediamur admittamuſque humanarum actionum *Regulam*, tum ſi deinde humanæ actiones cum hac Regula conferantur, ex hac collatione parta conſenſio cum Regula, vel diſſenſio, vere & proprie *moralitatem* efficit. (a)

4. Unde ſequitur ad dignoſcendum principium ſive cauſam efficientem humanarum actionum moralitatis, prius earumdem actionum dignoſcendam Regulam eſſe.

5. Tandem hæc humanarum actionum Regula duplex in univerſum poteſt eſſe, nimirum *interior* vel *exterior*, id eſt, quæ vel in homine ipſo reſidet, vel aliunde petenda eſt. Quorum principiorum jam adhibendus uſus eſt.

(a) Vid. *ſup. Part. I. Cap. XI.* §. 1.

§. III.

Tres humanarum actionum Regulæ. 1. Senſus moralis. 2. Ratio. 3. Dei voluntas.

JAM antea intellectum eſt (*Part. I. Cap. V. & Part. II. Cap. III.*) homini plures ineſſe bonum a malo ſecernendi rationes, quæ totidem ejus actionum ſuſceptorumque Regulæ ſunt.

Quam primam dirigendarum ſuarum actionum rationem in ſe ipſis homines deprehen-

hendunt, *inſtinctus* quidem eſt, quem ſupra vocavimus SENSUM MORALEM. Is prompto quidem, ſed ſubobſcuro & incogitato modo, boni malique inter ſe diſcrimen illud reſignat quod animos maxime percellit, homineſque velut quodam ſapore ſenſuumque commotione deterret a malo & ad bonum impellit.

Alterum humanarum actionum principium RATIO eſt, cujus ope rerum naturam, earumque inter ſe conſenſum diſſenſumve atque exitum exploramus; unde quacumque data occaſione, multo clarius quam impellente morali ſenſu, diſcrimen ſtatuimus boni malique.

Igitur ſenſus moralis & Ratio interiora duo ſunt humanarum actionum dirigendarum principia, quibus addendum tertium eſt, nempe DEI VOLUNTAS. Homo namque cum ſit a Deo conditus, a quo Rationem ſuaſque omnes facultates accepit, ſuo propterea Conditori omnino ſubjacet, nec ejus poteſt imperium detrectare. Quamobrem ubi Dei voluntas hominibus innotuit, debent illam Dei voluntatem habere tanquam ſupremam Legem, a qua ſibi nunquam liceat deflectere.

§. IV.

POSITA tria principia ſejungi non debent. Aliud quidem ab alio diverſum eſt, & habet quodque peculiarem ſuam vim: ſed neceſſario connexa conjunctaque ſunt, ita

Tria poſita principia conjungi debent.

ita hominis ſtatu poſtulante. Homines primo ſuo impulſu *ſenſus* commonefacit, majorem lucem affundit *Ratio*, cui certiſſima ſupervenit auctoritas, nempe *Dei voluntas*, quæ veritas ipſa eſt. Quibus conjunctis tribus fundamentis ſtat ſuperſtructa Juris Naturalis compages, vel Moralis Diſciplinæ ſyſtema.

Quoniam igitur Deus hominem conſulto ſapienterque condidit, eique ſenſum indidit & Rationem, conſequens eſt ut humanarum actionum Regula, ſeu Moralis Diſciplinæ fundamentum, in DEI VOLUNTATE cenſiſtant, quam SENSUS MORALIS & RATIO manifeſtam faciunt & interpretantur. Itaque ſenſus Moralis & Ratio genuini duo ſunt modi, quibus dignoſcimus quis ſit humanarum actionum eum humana natura, ſeu quod idem eſt cum Dei propoſito conſenſus diſſenſuſve, atque per hoc ipſum dignoſcimus etiam, quid ſit *bonum*, quid *malum*, quid *turpe*, quid præſcriptum aut quid prohibitum.

§. V.

De primigenia cauſa obligationis.

JAM multum hoc eſt quid bonum, quid malum ſit ſentire atque dignoſcere: ſed neque ſatis illud eſt; huic enim ſenſui cognitionique adjungenda eſt *obligatio* præſtandi boni & vitandi mali. Ex qua obligatione gignitur *officium*, ſine quo nullus eſſet moribus locus, ſed in mera contemplatione omnia conſiſterent. Quænam eſt ergo cauſa prin-

principiumque obligationis & officii ? Anne obligatio & officium ex ipſa rerum natura Rationis ope intellecta ; Anne ex Dei voluntate deducuntur ? Id quod operæ pretium eſt dilucidare.

§. VI.

Hoc mihi non videtur ſatis explorari quod primum hac in re explorandum eſt: cuivis nimirum Regulæ, quæcumque ſit, moralem neceſſitatem ineſſe juxta Regulam agendi, quæ ideo quamdam obligationem inducit. Cujus adnotationis probanda veritas eſt. Quævis Regula inducit obligationem.

Univerſalis Regulæ definitio certam brevemque rationem exhibet propoſitum finem aſſequendi. Igitur quævis Regula refertur ad *conſilium* ſeu voluntatem alicujus finis aſſequendi, qui finis vel actio eſt quam faciendam, vel res quam comparandam nobis proponimus. Evidentiſſimum porro eſt quod non debeat is ſollicitus eſſe de ſuis actionibus alia potius quam alia ratione dirigendis, qui non aliam cauſam habet agendi quam ut agat, nihil certum animo deſtinans, nullum ſibi finem proponens ; ſic enim ſe gerenti homini neque *conſilio* neque *regula* opus eſt. At quicumque homo certum ſibi finem proponit, novitque rationem ſeu Regulam cujus ope finem illum remque optatam valeat aſſequi, hoc ipſo neceſſe habet regulam illam ſequi, eique ſuas actiones accommodare. Alioquin ſibi contradiceret ipſe, id e-

nim

nim nollet quod vellet; finem optaret quidem, ſed rationes omitteret quibus ſolis ipſo confitente poſſit ad finem pervenire. Hinc ego colligo per quamlibet Regulam, quæ vere Regula cognoſcitur eſſe, certa nimirum & unica ratio propoſiti finis aſſequendi, neceſſitatem induci juxta Regulæ præſcriptum faciendi. Ubi enim paritur *a Ratione neceſſitas* definitum agendi modum potius quam alium eligendi, quicumque ſanæ mentis homo eſt, & juxta ſanam mentem ſe gerere vult, definitum illum agendi modum ſequi cogitur, nec Ratio patitur ut alium ſequatur. Vel ut idem aliis vocibus efferatur, homo is *vera obligatione* conſtringitur; ſiquidem obligatio, pro genuina illius definitione, coarctatio eſt libertatis, quam coarctationem inducit Ratio, quatenus Rationis conſilia totidem cauſæ ſunt quibus impellimur ad eligendum quemdam agendi modum potius quam alium. Ergo quævis Regula parit obligationem.

§. VII.

Obligatio plus minuſve gravis eſt.

Obligatio quidem plus minuſve gravis eſt, plus minuſve ſtricta, prout pluribus vel paucioribus cauſis conſtituitur, eæque cauſæ majorem minoremve auctoritatem habent, & efficientiam.

Quoties perſpectum habeo tum meæ ſaluti tuendæ, & perficiendæ virtuti, tum mei corporis mentiſque meæ ſanitati magis hanc agendi rationem conducere quam alteram quam-

quamlibet, quæ magis his omnibus conducit eam teneor eligere, atque is primus eſt obligationis gradus. Tum deinde ſi comperiam, præter illa quæ modo commemoravi commoda, inſuper ex mea agendi ratione pariendam mihi eorum quibuſcum vivo exiſtimationem plauſumque, jam nova cauſa ſupervenit vires addens priori obligationi. Quod ſi rem ulterius indagando, tandem intelligam quam agendi rationem inii plane cum Dei voluntate conſentire, jubentis ut Rationis conſilia auſcultem ac todidem *Leges* ab ipſo latas, ſane perſpicuum eſt ex hac altera ſuperaddita cauſa novum obligationi meæ robur accedere, vinculo me validiore conſtringi, & ineluctabili neceſſitate urgenti ad eligendam aliam agendi rationem potius quam aliam. Quibus enim potioribus cauſis poteſt ultimo impelli natura ratione prædita, qualis homo eſt, quam ſi illi certiſſime conſtet de benevolentia Dei & aſſenſu conſequendis, dummodo ejus leges & mandata exequatur: tum de vitanda ira qua Deus proculdubio in rebellantem ſæviret.

§. VIII.

JAM ortas ex poſitis principiis conſequentias perſequamur.

Sola Ratio poteſt aliquam obligationem inducere.

Quævis Regula ex ſe ipſa obligationem inducit, uti jam probatum eſt. Ratio autem primigenia eſt humanarum actionum Regula, igitur ſola Ratio, etiam ſepoſita Lege, aliquam inducit obligationem, unde pa-

4. Itaque de hoc argumento unum hoc aſſeri poteſt, quod ubi ſcilicet inter gentes invaluit aliquis uſus ex ſe innocuus earum quævis non immerito cenſeatur huic uſui ſubdita, quamdiu contrariam voluntatem profeſſa non eſt. Hæc illa eſt omnis obligatio ex receptis uſibus parta, quæ ſane multum ab illa obligatione differt quam inducit Lex proprie dicta.

§. IX.

Duplex genus Juris Gentium; alterum *Neceſſarium & ex ſe ipſo obligans*: alterum *arbitrarium & pacto convento initum*.

Quarum hac in re ſententiarum pugna forſitan componetur, ſi Juris Gentium diſtingatur duplex genus. Exiſtit profecto Gentium Jus *Univerſale*, *neceſſarium*, *ex ſe ipſo obligans*, quod nulla ex parte differt a Naturali Jure, quodque idcirco eſt immutabile, & quo Populi Principeſve, intervenien te etiam omnium conſenſu, ſolvi nequeunt, niſi violato officio. Sed & aliud eſt Jus Gentium quod liceat *arbitrarium* & *liberum* appellare, quippe quod tantum innititur pactis aliquot diſerte vel tacite conventis, quo non omnes obligantur, ſed ii tantum qui ſe ultro ſubjecerunt obligationi; nec obligantur niſi quamdiu volunt, ſiquidem ſemper eſt in eorum poteſtate, ut jus illud vel abrogent, vel ei derogent. Quibus adde, arbitrarium jus illud gentium ſuam vim omnem mutuari a Naturali Jure per quod jubemur pacta conventa exequi. Quidquid ad Jus Gentium vere ſpectat, ex alterutro genere pendet quod ſtatuimus. Hujus au-

tem duplicis Gentium Juris quam ſit neceſſaria diſtinctio liquebit, cum ſingulares quæſtiones expendentur, quæ vel ad bellum v. g. pertinent, vel ad Legatos, vel ad publica gentium pacta, tum ad dirimendas lites quæ in hujuſmodi cauſis inter Principes agitantur.

Obiter hic advertendum eſt, veterum Jureconſultorum Romanorum de Jure Gentium opiniones non ſibi ſemper conſtare, unde aliqua exiſtit in Legibus confuſio. Alii per *Jus Gentium* intelligebant Juris Regulas omnibus hominibus communes, atque inter eos Ratione duce conſtitutas, eaſque opponebant peculiaribus ſingularum gentium legibus. (Vid. *Leg. 9. ff. de Juſtit. & Jur. lib.* 1. *Tit.* 1.) Quo ſenſu *Gentium Jus* intellectum idem erat ac *Naturale Jus*. Alii Jus Gentium & Naturale Jus diſtinguebant, quemadmodum ULPIANUS in *Leg.* 1. *dict. tit.* Gentium enim Jus dicebant illud quod homini convenit prout eſt homo, ab eo Jure diverſum quod eidem homini convenit, prout eſt animal. (Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 3. *not.* 10. Denique nonnulli utrumque illud Jus in Naturali Jure contineri dicebant. (Vid. *Leg. XI. ff. de Juſtit. & Jur.*) Atque hinc eſt ut apud bonæ notæ Latinos Scriptores Jus Gentium & Naturale Jus promiſcue uſurpentur. Unde Cicero *Lib. III. Offic. Cap. V.* ſcribit:
„ Neque vero hoc ſolum *Natura*, id eſt, *Jure*
„ *Gentium*, conſtitutum eſt, ut non liceat ſui
„ commodi cauſa, alteri nocere, &c.

§. X.

Superiorum adnotationum uſus. Juris Gentium naturam originemque, qualem expoſuimus, operæ pretium eſt attendere. Nam præterquamquod plurimum ſemper prodeſt res vere dignoſcere, tum imprimis hæc cognitio neceſſaria eſt in iis quæ ad vitam recte inſtituendam pertinent. Atque ob hanc cauſam fortaſſis aliter Principum, aliter privatorum actiones reputatæ ſunt, quod Gentium Jus aliud ac Jus Naturale creditum eſt. Nihil enim magis uſu receptum quam illud in privatis hominibus damnari, quod vel laudatur in Principibus vel ſaltem excuſatur. Attamen omnino certum illud eſt quod jam demonſtratum fuit, nempe Juris Gentium præceptis non minorem auctoritatem ineſſe quam ipſis Naturalibus Legibus. Cum enim Deus æque ſit Juris Gentium ac Naturalis Juris auctor, utriuſque illius Juris pariter ſacra & ſancta poteſtas eſt. Uno verbo una eademque juſtitiæ regula omnibus omnino hominibus præſcripta fuit. Qui Gentium Jus Principes violant, par ſcelus admittunt privatorum ſceleri contra Naturalem Legem peccantium. Nec aliud eſt in utroque peccato diſcrimen, niſi quod peccantium Principum ſit fœdior culpa. * Nam ex pravis Principum actionibus multo majus exitium ſequitur quam ex privatorum peccatis. Quamquam ubi privatus peccat in privatum, ejus actio dicitur iniqua: at ubi Princeps alium Principem ci-

* *Vid. ſup. Part. I. Cap. XI. § 12.*

citra cauſam oppugnat, ejus ditionem invadit, urbes & agros vaſtat, hoc bellum vocatur, quod contra Jus fieri nefas eſt dicere: Promiſſa privato non ſervans privatus crimine damnatur: at in Principibus ſanctiſſimorum fœderum violatio habetur prudentia, nimirum artem callent regnandi. Principes quidem aliquam ſemper gerendi belli cauſam prætendunt, cæterum plane ſecuri an cauſa exiſtimetur juſta necne.

CAPUT VII.

PROLUSIO *in hanc* QUÆSTIONEM; *Eſtne in humanis actionibus aliqua* MORALITAS, *quædam obligatio, quoddam officium*, ANTE CONDITAS NATURALES LEGES, *& ſepoſito Legislatore*.

§. I.

HUMANARUM actionum MORALITAS quoniam in univerſum conſiſtit in earumdem actionum cum Lege convenientia vel diſcrepantia, prout oſtendimus *Part. I. Cap. XI.* Si quis Naturales Leges admittit, conſequens eſt ut humanarum actionum *Moralitatem* ſtatuat in earum cum Naturalibus Legibus convenientia vel diſcrepantia. Atque de hoc inter omnes Jureconſultos, & Moralis Diſciplinæ Magiſtros convenit. Sed non ita ſibi conſentiunt de primo principio ſeu primigenia cauſa obligationis, & moralitatis. Moralis Diſciplinæ Magiſtri varia ſtatuunt de primo moralitatis principio.

 Plu-

Plurimorum ſententia eſt nullum aliud moralitatis principium eſſe quam ipſam Dei voluntatem Naturalibus Legibus declarutam. Actionum *Moralitas*, inquiunt, neceſſario includit *obligationem*, non eſt autem *obligatio* ſine *Lege*, neque *Lex* abſque *Legislatore*. Quapropter ſi Legem, ajunt, tollas, atque ideo Legislatorem, jam neque Jus erit, nec obligatio, nec officium, nec ulla proprie dicta moralitas. (a)

Alii quidem fatentur Dei voluntatem revera principium obligationis eſſe, quæ idcirco Dei voluntas principium quoque eſt humanarum actionum moralitatis; ſed ulterius progrediuntur contenduntque ante latam Legem & ſepoſito Legislatore alias res ex natura ſua & per ſe ipſas honeſtas eſſe, alias vero turpes: quod præcipuum propriumque humanarum actionum diſcrimen ubi ſemel Ratio dignoverit, teneri homines alias quidem actiones uſurpare; ab aliis autem abſtinere; atque in hoc dicunt poſitum eſſe primum obligationis fundamentum, vel primam officii & moralitatis originem.

§. II.

In propoſitam quæſtionem principia.

Jam propoſitæ quæſtioni lucem affundere poteſt id quod ſuperius dictum eſt de primigenia humanarum actionum Regula, tum de obligationis natura & origine (b). Sed quo

(a) Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. II.* §. 6.

(b) Vid. *ſup. Part. I. Cap. V. & VI.*

quo magis ac magis quæſtio hæc dilucidetur, noſtrum iter remetiamur, remque a principio repetentes, genuino ordine præcipuas inter ſe de hoc argumento ſententias componamus, ex quibus deinde legitima concluſio eliciatur.

1. Statim quidem adverto, quamlibet actionem mere & ſimpliciter in ſe ipſa ſpectatam, prout eſt naturalis motus vel mentis vel corporis, omnino eſſe *indifferentem* experteinque cujusvis *Moralitatis*.

Atque illud manifeſto arguitur ex eo quod eadem naturalis actio modo habetur *licita*, & etiam *bona*; modo *illicita* vel *mala*. Cædes hominis, v. g. in latrone facinus malum eſt; quod idem facinus bonum aut licitum eſt in carnifice, vel in Cive & milite vitam ſuam aut patriam ſuam inique oppugnatam tuentibus. Quod evidentiſſimum argumentum eſt hujuſmodi actionem in ſe ipſa ſpectatam, & prout eſt naturalium facultatum uſus, omnino indifferentem eſſe expertemque cujuſvis moralitatis.

2. Igitur quæ *phyſica* ſunt a *moralibus* diligenter ſecernenda. Naturalis ſane *bonitatis* vel *malitiæ* quoddam genus eſt in iis actionibus quarum ea propria & interna vis eſt, ut *utiles* ſint aut *noxiæ*, hominiſque gignant bonum vel malum phyſicum. Sed hæ actiones cum exitu ſuo comparatæ phyſicam tantum conſenſionem vel diſſenſionem continent, cui ſi immoremur, nulla huc uſque moralitas deprehenditur. Miſerum eſt tum phyſica tum moralia eiſdem vocibus ſæpe

enunrianda eſſe, unde percipiendarum rerum & cogitandi modus interturbatur. Utinam Linguæ ſic eſſent accuratæ ut diverſis nominibus efferri poſſent variæ rerum naturæ, variaque illarum conſenſio, & diſſenſio. Quamquam huic linguarum egeſtati Philoſophorum medentur definitiones & adnotationes quibus excutitur confuſionis caligo.

3. At ſi longius progrediamur admittamuſque humanarum actionum *Regulam*, tum ſi deinde humanæ actiones cum hac Regula conferantur, ex hac collatione parta conſenſio cum Regula, vel diſſenſio, vere & proprie *moralitatem* efficit. (a)

4. Unde ſequitur ad dignoſcendum principium ſive cauſam efficientem humanarum actionum moralitatis, prius earumdem actionum dignoſcendam Regulam eſſe.

(a) Vid. *ſup. Part. I. Cap. XI.* §. 1.

5. Tandem hæc humanarum actionum Regula duplex in univerſum poteſt eſſe, nimirum *interior* vel *exterior*, id eſt, quæ vel in homine ipſo reſidet, vel aliunde petenda eſt. Quorum principiorum jam adhibendus uſus eſt.

§. III.

Tres humanarum actionum Regulæ. 1. Senſus moralis. 2. Ratio. 3. Dei voluntas.

Jam antea intellectum eſt (*Part. I. Cap. V. & Part. II. Cap. III.*) homini plures ineſſe bonum a malo ſecernendi rationes, quæ totidem ejus actionum ſuſceptorumque Regulæ ſunt.

Quam primam dirigendarum ſuarum actionum rationem in ſe ipſis homines depre-

hen-

hendunt, *inſtinctus* quidem eſt, quem ſupra vocavimus SENSUM MORALEM. Is prompto quidem, ſed ſubobſcuro & incogitato modo, boni malique inter ſe diſcrimen illud reſignat quod animos maxime percellit, homineſque velut quodam ſapore ſenſuumque commotione deterret a malo & ad bonum impellit.

Alterum humanarum actionum principium RATIO eſt, cujus ope rerum naturam, earumque inter ſe conſenſum diſſenſumve atque exitum exploramus; unde quacumque data occaſione, multo clarius quam impellente morali ſenſu, diſcrimen ſtatuimus boni malique.

Igitur ſenſus moralis & Ratio interiora duo ſunt humanarum actionum dirigendarum principia, quibus addendum tertium eſt, nempe DEI VOLUNTAS. Homo namque cum ſit a Deo conditus, a quo Rationem ſuaſque omnes facultates accepit, ſuo propterea Conditori omnino ſubjacet, nec ejus poteſt imperium detrectare. Quamobrem ubi Dei voluntas hominibus innotuit, debent illam Dei voluntatem habere tanquam ſupremam Legem, a qua ſibi nunquam liceat deflectere.

§. IV.

POSITA tria principia ſejungi non debent. Aliud quidem ab alio diverſum eſt, & habet quodque peculiarem ſuam vim: ſed neceſſario connexa conjunctaque ſunt, *Tria poſita principia conjungi debent.*

ita

ita hominis ſtatu poſtulante. Homines primo ſuo impulſu *ſenſus* commonefacit, majorem lucem affundit *Ratio*, cui certiſſima ſupervenit auctoritas, nempe *Dei voluntas*, quæ veritas ipſa eſt. Quibus conjunctis tribus fundamentis ſtat ſuperſtructa Juris Naturalis compages, vel Moralis Diſciplinæ ſyſtema.

Quoniam igitur Deus hominem conſulto ſapienterque condidit, eique ſenſum indidit & Rationem, conſequens eſt ut humanarum actionum Regula, ſeu Moralis Diſciplinæ fundamentum, in DEI VOLUNTATE cenſiſtant, quam SENSUS MORALIS & RATIO manifeſtam faciunt & interpretantur. Itaque ſenſus Moralis & Ratio genuini duo ſunt modi, quibus dignoſcimus quis ſit humanarum actionum eum humana natura, ſeu quod idem eſt cum Dei propoſito conſenſus diſſenſuſve, atque per hoc ipſum dignoſcimus etiam, quid ſit *bonum*, quid *malum*, quid *turpe*, quid præſcriptum aut quid prohibitum.

§. V.

De primigenia cauſa obligationis.

JAM multum hoc eſt quid bonum, quid malum ſit ſentire atque dignoſcere: ſed neque ſatis illud eſt; huic enim ſenſui cognitionique adjungenda eſt *obligatio* præſtandi boni & vitandi mali. Ex qua obligatione gignitur *officium*, ſine quo nullus eſſet moribus locus, ſed in mera contemplatione omnia conſiſterent. Quænam eſt ergo cauſa prin-

principiumque obligationis & officii ? Anne obligatio & officium ex ipſa rerum natura Rationis ope intellecta ; Anne ex Dei voluntate deducuntur ? Id quod operæ pretium eſt dilucidare.

§. VI.

Quævis Regula inducit obligationem.

Hoc mihi non videtur ſatis explorari quod primum hac in re explorandum eſt: cuivis nimirum Regulæ, quæcumque ſit, moralem neceſſitatem ineſſe juxta Regulam agendi, quæ ideo quamdam obligationem inducit. Cujus adnotationis probanda veritas eſt.

Univerſalis Regulæ definitio certam brevemque rationem exhibet propoſitum finem aſſequendi. Igitur quævis Regula refertur ad *conſilium* ſeu voluntatem alicujus finis aſſequendi, qui finis vel actio eſt quam faciendam, vel res quam comparandam nobis proponimus. Evidentiſſimum porro eſt quod non debeat is ſollicitus eſſe de ſuis actionibus alia potius quam alia ratione dirigendis, qui non aliam cauſam habet agendi quam ut agat, nihil certum animo deſtinans, nullum ſibi finem proponens ; ſic enim ſe gerenti homini neque *conſilio* neque *regula* opus eſt. At quicumque homo certum ſibi finem proponit, novitque rationem ſeu Regulam cujus ope finem illum remque optatam valeat aſſequi, hoc ipſo neceſſe habet regulam illam ſequi, eique ſuas actiones accommodare. Alioquin ſibi contradiceret ipſe, id e-

nim

nim nollet quod vellet; finem optaret quidem, ſed rationes omitteret quibus ſolis ipſo confitente poſſit ad finem pervenire. Hinc ego colligo per quamlibet Regulam, quæ vere Regula cognoſcitur eſſe, certa nimirum & unica ratio propoſiti finis aſſequendi, neceſſitatem induci juxta Regulæ præſcriptum faciendi. Ubi enim paritur *a Ratione neceſſitas* definitum agendi modum potius quam alium eligendi, quicumque ſanæ mentis homo eſt, & juxta ſanam mentem ſe gerere vult, definitum illum agendi modum ſequi cogitur, nec Ratio patitur ut alium ſequatur. Vel ut idem aliis vocibus efferatur, homo is *vera obligatione* conſtringitur; ſiquidem obligatio, pro genuina illius definitione, coarctatio eſt libertatis, quam coarctationem inducit Ratio, quatenus Rationis conſilia totidem cauſæ ſunt quibus impellimur ad eligendum quemdam agendi modum potius quam alium. Ergo quævis Regula parit obligationem.

§. VII.

Obligatio plus minuſve gravis eſt.

OBLIGATIO quidem plus minuſve gravis eſt, plus minuſve ſtricta, prout pluribus vel paucioribus cauſis conſtituitur, eæque cauſæ majorem minoremve auctoritatem habent, & efficientiam.

Quoties perſpectum habeo tum meæ ſaluti tuendæ, & perficiendæ virtuti, tum mei corporis mentiſque meæ ſanitati magis hanc agendi rationem conducere quam alteram

quam-

quamlibet, quæ magis his omnibus conducit eam teneor eligere, atque is primus eſt obligationis gradus. Tum deinde ſi comperiam, præter illa quæ modo commemoravi commoda, inſuper ex mea agendi ratione pariendam mihi eorum quibuſcum vivo exiſtimationem plauſumque, jam nova cauſa ſupervenit vires addens priori obligationi. Quod ſi rem ulterius indagando, tandem intelligam quam agendi rationem inii plane cum Dei voluntate conſentire, jubentis ut Rationis conſilia auſcultem ac todidem *Leges* ab ipſo latas, ſane perſpicuum eſt ex hac altera ſuperaddita cauſa novum obligationi meæ robur accedere, vinculo me validiore conſtringi, & ineluctabili neceſſitate urgenti ad eligendam aliam agendi rationem potius quam aliam. Quibus enim potioribus cauſis poteſt ultimo impelli natura ratione prædita, qualis homo eſt, quam ſi illi certiſſime conſtet de benevolentia Dei & aſſenſu conſequendis, dummodo ejus leges & mandata exequatur: tum de vitanda ira qua Deus proculdubio in rebellantem ſæviret.

§. VIII.

Sola Ratio poteſt aliquam obligationem inducere.

JAM ortas ex poſitis principiis conſequentias perſequamur.

Quævis Regula ex ſe ipſa obligationem inducit, uti jam probatum eſt. Ratio autem primigenia eſt humanarum actionum Regula, igitur ſola Ratio, etiam ſepoſita Lege, aliquam inducit obligationem, unde

pa-

pariuntur Moralitas & officium, & res evadunt dignæ laude aut vituperio.

Sed quo nullum de hac re vel minimum dubium ſuperſit, eam impræſentiarum cogitandi rationem adhibeamus, per quam Legiſlatore & Legibus ſepoſitis, hominem nobis effingamus qui ſolus degat, quemque unice contemplemur ut eſt Ratione præditus. Is certe homo ſuum ſibi proponit commodum, mentis videlicet & corporis ſanum ſtatum. Tum deinde acquirit quibus rationibus hæc commoda valeat ſibi parare, quibus compertis agendi rationibus, alias quidem actiones probat, alias autem damnat, atque ſic ſe ipſum quoque vel probat vel damnat, prout Rationis dictata exequutus eſt, vel ab illis aberravit. Quæ omnia nonne evidenter arguunt vel ſola Ratione frænari hominum libertatem, qui idcirco vera obligatione tenentur alias quidem res præſtare, alias autem omittere.

Progrediamur ulterius, hominemque ponamus patremfamilias, qui ſe velit convenienter Rationi gerere. An illud cenſebit indifferens eſſe utrum filios ſuos curet, necne; utrum eos alat inſtituatque, vel neutrum præſtet? Nonne contra liquet quod hujus hominis familias felix vel infelix futura eſt, prout eam curaverit vel neglexerit? Ergo etiam liquet quod hujus patrisfamilias curam vel negligentiam Ratio probat vel improbat, ejuſque agendi modum efficit moraliter ***bonum*** vel ***malum***, laude dignum aut vituperio.

Quam

Quam ratiocinandi methodum facile eſſet perſequendo amplificare, eamque quibuſvis hominum conditionibus accommodare. Sed ex iis quæ hactenus dicta ſunt ſatis intelligitur hominem, cum non aliter poſſit quam duce Ratione optatam metam aſſequi, hoc ipſo teneri ducem Rationem ſequi, & juxta ejus præſcripta vitam inſtituere. Igitur ſola Ratio ſufficit ad conſtituendum *moralitatis*, *obligationis*, & *officiorum* ſyſtema. Nam quoniam fatemur Rationi conſentaneum eſſe fieri quaſdam res, alias vero non fieri, ſimul fatemur conſtringi nos obligatione.

§. IX.

Sed, inquies, „ Ubi eſt obligatio, ibi „ eſt aliquis obligans ab eo diverſus qui „ obligatur. Nam ſi dicas obligantem & „ obligatum unum & eumdem eſſe, idem „ eſt ac ſi diceres poſſe hominem ſecum „ ipſo contrahere, quod eſt abſurdum. Re„ cta Ratio revera nihil aliud eſt quam „ obligato homini qualitas inhærens; non „ poteſt ergo hujus hominis Ratio in hoc „ eodem homine obligationis principium fie„ ri: neque enim poteſt quiſquam ſibi ipſe „ ineluctabilem neceſſitatem afferre hoc vel „ illo modo ſe gerendi. Nam ut neceſſita„ ti ſit locus, oportet ut ejus arbitrio, qui „ ſe neceſſitati ſubjecit, tolli non poſſit ne„ ceſſitas obligati, quæ ſi ejus arbitrio tol„ li poſſet, jam nullam haberet vim. Qua„ propter ſi obligans obligatuſque ſint unus *Objectio. Nemo ſe ipſum poteſt obligare.*

„ idem-

„ idemque, poterit obligatus quoties volet, „ obligationem rejicere, vel potius non eſt „ vera obligatio; quemadmodum nihil debetur, in bona & Jura creditoris debitore ſuccedente. Atqui *officium* eſt *debitum*, nec poteſt utrumque locum habere, „ niſi inter duos diverſos homines. *Nemo ſibi debet*, inquit SENECA: *& hoc verbum* debere *non habet niſi inter duos locum*. (*a*)

(a) Vid. *Sen. de Benef. Lib. V. Cap.* 8.

§. X.

Reſponſum.

QUÆ ratiocinatio magis ſpecioſa quam vera eſt. Nam qui contendunt, Legibus & Legislatore ſepoſitis, neque proprie dictam *obligationem*, neque *moralitatem* eſſe, ii neceſſario harum rerum alterutram debent admittere: 1. Vel aliam non admittunt humanarum actionum Regulam præter *Legem*; vel ſi quæ ſit alia Regula, nulla tamen alia Regula dicunt, homines obligari quam *Lege*.

Quibus præter Legem alia non admittitur humanarum actionum Regula, eorum ſententia manifeſto falſa eſt, de qua quoniam ſuperius abunde diſputatum eſt, jam in illa rurſus impugnanda fruſtra tempus tereretur. Vel enim homini inutiliter & inconſulto Ratio conceſſa eſt, vel fatendum ideo illi conceſſam eſſe qua tanquam primigenia Regula in omnibus ſuis actionibus uteretur. Quid enim magis eſt ſecundum naturam, quam ut, qui Ratione ſit præditus,

Digitized by Google

juxta Rationem ſe gerat? Sin dicas, quamvis Ratio humanarum actionum Regula ſit, non tamen per eam, ſed ſola Lege obligationem induci: ſententia hæc nequit ſtare, niſi etiam contendas *obligationis* nomine tantum venire libertatis coarctationem illam quæ Legislatoris voluntate & imperio paritur; & tunc non de re, ſed de vocibus totum certamen erit. Vel tandem ſtatuendum eſt nullam revera nec eſſe nec concipi poſſe obligationem, niſi Legislatoris voluntas intervenerit, quod non ita verum eſt.

Qui error, vel ſi mavis, æquivocatio ex eo oritur, quod ad principia non fiat regreſſus, ut ex illis primigenia obligationis idea hauriatur. Igitur quod in hanc rem ſæpe monuimus, iterum iterumque repetendum eſt. Dico itaque veram obligationem induci per quamvis libertatis coarctationem, quæ Ratione gignitur vel probatur. Per illa vere & proprie obligamur quæ *dictat* conſcientia; aut etiam tunc vere & proprie obligamur, cum nobis ipſi conſcii ſumus ideo ſervandam hanc vel illam Regulam, quod juſta ſit, id eſt, cum ſanæ Rationis lumine conveniens.

§. XI.

Sed contrariæ ſententiæ fautores inſtant dicuntque: „ Tuus ille ratiocinandi modus „ clariſſimas notiones impugnat, evertitque „ probatas fere omnibus ideas, juxta quas „ pendent *obligatio* & *officium* ex interve- Inſtant, &re ponditur.

„ nientis Legiſlatoris voluntate, quæ per
„ *Legem* declaratur. Quæ illa erit obliga-
„ tio quam vel homini Ratio, vel homo
„ ſibi ipſe imponit? Nonne hujuſmodi obli-
„ gationem ſemper poterit ad libitum ex-
„ cutere? Atque, ut jam adnotatum eſt,
„ ibi ne poteſt dici verum debitum eſſe,
„ ubi Creditor & Debitor ſunt unus idem-
„ que?

Reſponſum. Quod rurſus objiciunt inſtantes, vel in æquivocatione totum verſatur, vel id ponitur tanquam verum de quo quæritur an verum ſit? Semper enim contendunt nec eſſe nec aliam poſſe obligationem eſſe, quam quæ a Legiſlatore vel Lege derivatur: Equidem ſolitus ille eſt Jureconſultorum loquendi modus, ſed qui rei naturam non immutat: Nec quidquam probatur per id quod ſubjungitur. Fateor poſſe hominem ad arbitrium ſuum obligationi ſe ſubtrahere quam Ratio inducit; at ſi obligationem illam effugiat, periculo damnoque ſe ſupponit, agnoſcitque vel invitus eum agendi modum prorſus inconſultum eſſe. Si tamen ex eo quod homo poſſit Rationis imperium detrectare, inde colligas quod per Rationem non obligetur, ſanæ ratiocinationis prætergredieris limites; nam & ipſam obligationem impugnas quæ a Legiſlatore parta eſt. Quid enim? Obligatio per Legem inducta libertatem non evertit, & in noſtra ſemper libertate poſitum eſt ut Legem colamus aut frangamus, quicumque futurus ſit ſervatæ aut violatæ Legis

exi-

exitus. Neque hìc quæſtio movetur de *vi* aut *neceſſitate*; ſed ea tantum obligatio memoratur, ſeu illud *morale vinculum*, quod, qualicumque modo ſpectetur, ſemper Rationis opus eſt.

§. XII.

Officium accipi poteſt lato vel ſtricto ſenſu.

OFFICIUM quidem juxta propriam ſtrictamque ejus ſignificationem eſt *Debitum*, atque ſic ſpectatum officium actionem exhibet quam quis a nobis jure poteſt exigere. Quam conſiderandi officii rationem fateor inſuper in ſe ipſa veram eſſe. Homo pars eſt *ſyſtematis* vel *totius*; atque ideo ad alias rerum naturas neceſſario refertur: & quoniam hominis ſic ſpectati actiones ſemper aliquatenus ad alios homines pertinent, inde eſt ut cum de officio agitur, alius plerumque ſit *obligans* ab *obligato*. At vero quemadmodum in morali diſciplina ejuſdem vocis ſignificatio quandoque latior, quandoque ſtrictior eſt, nihil obſtat quominus officii vocabulum in ampliſſima ſua ſignificatione accipiatur, officiumque in univerſum definiatur *actio rectæ Rationi conſentanea*. Atque tunc merito dici poteſt homini in ſe ipſo ſpectato & a qualibet altera natura ſepoſito adimplenda quædam officia eſſe. Sufficiens enim officii cauſa eſt, quum alias actiones Ratio probat, alias improbat. Itaque pro diverſis officiorum generibus, diverſa quoque ſunt obligationum genera. Variæ porro illæ officium & obligationem

definiendi rationes neutiquam ſe invicem impugnant, ſed mutuo nexu conciliatæ corroborantur.

§. XIII.

Quid ex iis quæ hactenus dicta fuere, colligendum ſit.

Ex iis quæ hactenus diſputata ſunt hoc ferme colligitur.

1. Ratio cum ſit prima *Regula* hominis, primum quoque *moralitatis* principium eſt, & proxima cauſa cujuſvis primigeniæ *obligationis*.

2. Sed quoniam homo propter naturam ſuam conditionemque neceſſario obnoxius Deo eſt, qui hominem ſapienter conſultoque, & ob certum finem condidit, hinc eſt ut Dei voluntas altera ſit humanarum actionum Regula, alterumque moralitatis, obligationis, & officii principium.

3. Igitur duplex in univerſum moralitatis & obligationis genus eſt. Alia obligatio Legem antecedit, & ſolius Rationis opus eſt; alia ſubſequitur Legem, & Legis effectus eſt. Atque in hoc nititur *interioris* & *exterioris* obligationis diſtinctio. (*a*)

4. Equidem utrique illi obligationi non ineſt eadem vis. Nam quæ a Lege paritur obligatio ſine controverſia omnium perfectiſſima eſt, hominis libertatem potentiſſimo freno coercens, unde per excellentiam obligatio dicenda eſt. Sed ne tamen hinc colligas nullam alteram alteriùs generis obligationem eſſe. Non enim minus vera eſt aliqua

(*a*) Vid. *Part. I. Cap. VI.* §. 13.

qua obligatio, quamvis ab altera differat, atque altera debilior ſit.

5. Noſtrum autem duplex obligationis & moralitatis genus eo magis ſtatuendum eſt, quod ex Lege parta obligatio ideo perfectiſſima ſit, quia utrumque genus obligationis includit, eſt enim interior ſimul & exterior. (a) Quippe ſi Legum natura ipſa non attendatur, & quæ res Legibus præcipiuntur aut vetantur ex ſe ipſis non eæ ſint quas Ratio probet vel improbet, Legislatoris auctoritas non alio fundamento quam ejuſdem *poteſtate* fulcietur; atque ſic Leges mero voluntatis arbitrio, non autem ſapientiæ judicio conſtitutæ *neceſſitatem* proprie dictam potius quam veram *obligationem* inducent.

(a) Vid. ſup. Part. I. Cap. IX. §. 12.

6. Adnotationes noſtræ cum Legibus Naturalibus accuratiſſime conveniunt. Naturalium enim Legum obligatio præ cæteris omnibus obligationis generibus & efficax eſt & latius extenditur; quoniam hæ Leges primum Rationi omnino accommodatæ ſunt, ſiquidem originem ſuam ducunt tum ex ipſa natura actionum, earumque inter ſe diſcrimine tum ex eo quem habent cum propoſitis finibus conſenſum diſſenſumve. Deinde, quæ per ipſas Naturales Leges inducitur obligatio, majores vires accipit ex ſupervenientе Dei auctoritate, jubentis Leges illas ſervari, utpote a ſe ipſo ſancitas, unde noſtram agendi rationem Legibus illis aptare neceſſario compellimur.

7. Ex quibus adnotationibus ſequitur duo

eſſe moralitatis principia, hinc *Rationem*, illinc vero Dei *Voluntatem*; quæ duo principia cenſeri non debent tanquam inter ſe pugnantia, ita ut uno poſito tollatur alterum: ſed contra duplex hæc noſtra methodus, & hæc duo noſtra principia conjungenda ſunt, ut hinc conficiatur ſuis omnibus numeris abſolutum *ſyſtema*, quod vere conſtitutum ſit in ipſa hominis natura ſtatuque. Quoniam enim homo eſt Ratione præditus, Rationi ſubjacet, & quoniam a Deo conditus eſt, ejuſdem Dei voluntati ſit ſubditus. Quemadmodum vero Rationi & Dei voluntati parere nihil involvit contrarium, ſic etiam hæ duæ Regulæ, *Ratio* nimirum & Dei *Voluntas* optime inter ſe conſentiunt, & natura connectuntur ſuoque nexu firmantur. Neque ſe aliter res poteſt habere: Quid enim? Rerum naturam earumque inter ſe conſenſum diſſenſumve, tum imprimis naturam hominis, ejus indolem & ſtatum, Rationem, eique inhærentes cæteras facultates Deus ipſe condidit: quæcumque exiſtunt a Deo creata ſunt omnia, & ex ejus voluntate, atque ab ipſo Deo inducta rerum conſtitutione ultimo pendent.

§. XIV.

Noſtra conſtituendæ moralitatis ratio Naturale Jus non infirmat.

Quapropter tantum abeſt ut ea ſtatuamus obligationis officiique principia, per quæ Naturalis Juris vel moralis diſciplinæ ſyſtema debilitetur: quin contra Naturali Juri ex noſtra methodo plus accedit virium & fir-

& firmitatis. Sic enim res a principio repetuntur, jaciunturque prima ædium fundamina. Equidem non inficias ibo; ſi quis rectam de morali diſciplina ratiocinationem velit inſtituere, ei conſiderandas res eſſe quales ſunt, removendaſque ab hoc argumento nimis abſtractas opiniones. Hominis attendenda natura eſt, ejuſque præſens ſtatus; tum etiam conjungenda & inter ſe ſocianda ſunt ea omnia quibus præcipue conſtat ſyſtema humanitatis. Quorum omnium conjunctio nihil obſtat quominus homo ſingulatim & tanquam per partes expendatur, ut ex ſingularum partium accurata diſquiſitione melius *Totum* dignoſcatur. Quin etiam non alia methodus eſt finem hunc aſſequendi.

§. XV.

Expenditur *Grotii* ſententia.

PER hæc quæ hactenus diſputata explicari ſimulque demonſtrari poteſt quod in Operis ſui præfatione §. II. *Grotius* aſſerit. Scriptor ille poſtquam pro ſuo cogitandi modo Juris Naturalis principia & fundamenta ſuper ipſa natura humana conſtituit, ſic proſequitur. „ Quæcumque dixi aliquatenus locum habent, etiamſi neges Deum „ eſſe; vel Deum ſi dicas eſſe, eum tamen „ neges humanarum rerum curam ſuſcipere. „ Ea ſunt hoc loco Grotii verba, ut facile quivis intelligat noluiſſe eum a Jure Naturali Dei voluntatem ſecludere. Non fuit illa mens hujus ſcriptoris, quippe

qui ipſe voluntatem Dei ut alterum Juris principium diſerte ſtatuit. Itaque Grotius hoc unum contendit, quod etiamſi Legislatoris Dei nulla prorſus interveniret auctoritas, jam tamen omnino neceſſe hominibus eſſet, vel ob unius Rationis imperium, Juris Naturalis præcepta colere, quoniam præcepta illa ex ipſa rerum natura atque hominis indole deducuntur. Quis enim inficias ibit populos vel tantillum ad humanitatem excultos ordine, convenientia, honeſtate, & iis omnibus quæ cum ſana ratione conveniunt, quocumque tempore ſaltem aliquatenus affectos fuiſſe? Ita hominum comparata mens eſt, ut qui non adeo perſpicaces ſunt in iis quæ diximus accurate dignoſcendis, ea tamen intricato ſenſu quodam intelligant, unde illis, ſtatim atque proponuntur, ultro aſſentiunt.

§. XVI.

Ut perfectum habeatur morale ſyſtema, huic adjungenda Religio eſt.

VERA profecto certaque ſunt quæ ex Rationis auctoritate principia deduximus; quibus ſolis non tamen immorandum eſt; alioquin in media via conſiſteremus; nec enim morale ſyſtema conflari poteſt quavis ſepoſita Religione. Una Ratione fultum, ſecluſa Religione ſyſtema, non omnino erit expers auctoritatis; ſed non ita efficacem obligationem inducet, ac ſi divina voluntas adjungatur. Summi numinis imperium Rationis præſcripta vertit in Leges proprie dictas, unde Rationis præſcripta illa quan-

tam

tam poſſunt vim habent maximam ad *conſtringendam* & *ſubjiciendam* hominum voluntatem, iiſque imponendam arctiſſimam obligationem. Verumtamen, nam & hoc rurſus dicendum eſt, qui per Rationis conſilia præceptaque in ſe ipſis ſpectata, & a Dei voluntate ſejuncta, *nullam* aſſerunt obligationem induci, ii profecto legitimæ ratiocinationis limites evagantur, quoniam unum tantum obligationis genus admittunt. Quæ ſententia non ſolum naturæ rerum adverſatur, ſed & imminuit hanc ipſam obligationem quæ Legislatoris voluntate gignitur. Nam divinis Legibus eo magis afficitur mens, & voluntas ſubjicitur, quod illis Legibus Ratio ſuffragatur, utpote quæ omnino conſentiunt cum hominis natura, indole, ſtatuque.

CAPUT VIII.

Quænam ex ſuperiori capite conſequantur. Quid ſit Juſtum, *quid* honeſtum, *quid* utile.

§. I.

Multa eſt de noſtro argumento Jureconſultorum æquivocatio.

Ex iis quæ ſuperiori capite diſputata ſunt, intelligi ut varias Jureconſultorum de *moralitate* ſeu Naturalium Legum fundamento ſententias æquivocas & diſſentientes eſſe. Ii nempe rem ab origine non repetunt, neque eorum ſatis accuratæ ſunt de-

definitiones diſtinctioneſque; tum etiam pugnantes inter ſe ideas illas inducunt, quæ ſuapte natura conciliantur, nec unquam ſejungendæ ſunt. Nonnulli nimis abſtruſa ratione de natura humana diſputant, & contemplationibus ſuis plus æquo ſubtilibus unice intenti, non ſatis præſentem rerum conditionem reputant, nec ſatis advertunt hominem ſui Conditotis imperio natura ſubditum eſſe. Alii contra hominem præcipue conſiderantes ut eſt Deo ſubditus, ex Dei voluntate juſſiſque obligationem omnem & jus omne deducunt; atque ſic obliti videntur naturam ipſam hominis, ejuſque interiorem indolem, a qua tamen natura, & indole non poteſt homo ſeparari. Variæ illæ Jurecconſultorum ſententiæ in ſe ipſis rectæ ſunt; ſed non debet altera rejici poſita altera, nec altera in alterius exploſionem admitti. Quin imo, ita præcipiente Ratione, ſingulæ illæ ſententiæ aliæ aliis adjungendæ ſunt, ut vera principia conſtituantur humani *ſyſtematis*, cujus in ipſa hominis natura ſtatuque fundamenta quærenda ſunt.

§. II.

De *Juſto Honeſto*, *Utili*, cum de *Ordine* & *Convenientia*.

SÆPE ſæpius commemorantur *utile*, *juſtum*, *honeſtum*, *ordo*, *convenientia*, quæ ſæpiſſime quoque non ſatis accurate definiuntur, vel etiam utrorumque permiſcentur definitiones. Ex qua rerum bene definiendarum incuria fit obſcurus ſermo intricatuſque.

que. Quo igitur diſputationi lux affundatur, ſingula ſunt apprime definienda & diſtinguenda.

Mea quidem ſententia, ACTIO UTILIS *illa eſt quæ ex ſe ipſa hominis ſaluti & felicitati conducit.*

ACTIO JUSTA *illa eſt quæ cum ejus voluntate conſentit a quo præcipitur.*

ACTIO HONESTA *illa eſt quæ cum recta Ratione hominiſque dignitate conſentit, unde huic actioni ſuffragantur homines, eamque faciens decus ſibi, honorem, & exiſtimationem comparat.*

ORDO *eſt plurium rerum ſeries & junctura in aliquem finem conſpirans, & cum futuro rei exitu conſentiens.*

Denique quod ſpectat ad CONVENIENTIAM, ea non multum differt ab ordine, & definiri poteſt: *multarum inter ſe rerum conſenſus, quarum altera per ſe ipſam alteri ſervandæ, & perficiendæ conducit, eamque tuetur in ſtatu bono utilique.*

§. III.

IGITUR Juſtum, Utile, Honeſtum, confundenda non ſunt; hæc enim tria a ſe invicem diſtinguuntur, quæ ſi permiſceantur, eorum quoque ideas interturbari neceſſe eſt. Hæ porro ideæ, quamvis diverſæ, minime tamen inter ſe diſſentiunt, ſed uni eidemque actioni accommodari & convenire poſſunt, prout actio illa quoad diverſa ſpectatur. Quin etiam ſi rem ab origine repe-

Juſtum, Utile & Honeſtum a ſe invicem diſtinguuntur, nec confundenda ſunt.

repetas, triplicem illam Juſtitiæ, honeſtatis, & utilitatis ideam deprehendes e communi fonte, ſive ex uno eodemque principio derivari, quemadmodum ex eodem ſtipite tres rami pullulant. Hoc autem generale principium non aliud eſt quam *Rationis aſſenſus*. Iis omnibus Ratio neceſſario aſſentit quibus vera felicitas comparatur. Quoniam autem quidquid hominis ſaluti perfectionique conducit; quidquid conſentit cum Dei voluntate cui ſubditus homo eſt, quidquid aliorum hominum exiſtimationem conciliat: quoniam hæc, inquam, omnia felicitatem hominis promovent, inde eſt ut horum unumquodque vel ab aliis etiam ſejunctum Ratione comprobetur; quanto magis hæc eadem Ratio actioni ſuffragatur, in qua quæ diximus ſingula concurrunt.

§. I.V.

Quæ quanquam diſtinguantur naturâ tamen cohærent.

Ea enim rerum conditio eſt, ut juſtum, honeſtum, & utile natura connectantur & tanquam divelli nequeant; ſi tamen, ut par eſt, vera, univerſa, & ſtabilis utilitas attendatur. Quod utilitatis genus ita ſe habet, ut per illud ſecernatur quod vere utile vel honeſtum eſt ab eo quod non utile honeſtumve eſt niſi falſa hominum æſtimatione. Qua de re ſic recte & pulchre Tullius differit (a). „ In quo lapſa conſue-
„ tudo

(a) *De off. lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 3. Vid. etiam Grot. de Jur. Bell. & Pac. in præfat. § 17. & ſeqq. tum Puffend. de Jur. Nat. & Gent. lib. 2. Cap. 3. §. 10. 11.*

„ tudo deflexit de via, ſenſimque eo deducta eſt, ut honeſtatem ab utilitate ſecernens, & conſtituerit honeſtum eſſe aliquod quod utile non eſſet, & utile, quod non honeſtum: qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit adferri . . . Itaque accepimus, SOCRATEM exſecrari ſolitum eos, qui primum hæc natura cohærentia opinione diſtraxiſſent.

Ac ſane quo penitius perſpicitur divinæ providentiæ conſilium, eo quoque magis intelligitur propoſitum illud Deo fuiſſe, ut bonum malumque moralia bono maloque phyſicis adnecterentur, ſeu quod idem eſt, ut mutuo coirent juſtum & utile. Quamquam vero in quibuſdam ſingularibus cauſis aliter videatur ſe res habere, eſt illa fortuita conſueti ordinis interturbatio, ex naturali ſyſtematis compage minus profecta, quam ex hominum vel inſcitia vel nequitia. Si præterea immorari nolis in primo naturæ humanæ cortice, ſed illam, quantum patet, explores; tunc, poſt habitam omnium rationem & compenſationem, profecto intelliges quæ hodie ordini videntur adverſari, ea quandoque ad perfectiſſimum ordinem reducenda, quemadmodum oſtendemus ubi mentio fiet de Naturalium Legum ſanctione.

§. V.

NONNUNQUAM hæc proponitur quæſtio: An ideo juſta res eſt quia Deus illam

An ideo juſta eſt actio quia

Deus illam præſcripſit. lam præcipit? Vel, anne Deus rem aliquam præcipit, quia eſt juſta? Cujus quæſtionis facilis ſolutio eſt, ſi poſitis principiis inſiſtamus. Ideo juſta eſt res, quia Deus illam præcipit; hæc enim noſtra eſt Juſtitiæ definitio. Sed Deus hanc vel illam rem ideo præcipit, quia cum Ratione conſentit, nec non cum natura ſtatuque hominis, atque cum ordine, & finibus, quos ſibi propoſitos Deus habuit, quum hominem conderet. Quæ rerum ideæ, quamvis a ſe invicem diverſæ, neceſſario tamen connectuntur, nec aliter fere ſeparari queunt quam per mentem alias ab aliis ſubtiliter abſtrahentem.

§. VI.

In quo virtus & hominis perfectio conſiſtant? ADVERTENDUM tandem eſt ex hac juſtitia, honeſtatis & utilitatis inter ſe convenientia & mirabili prorſus conſenſu derivari omnem virtutis *pulchritudinem*, unde etiam edocemur in quo ſita ſit *hominis perfectio*.

Quoniam moralis diſciplinæ Magiſtri non unum ſyſtema conſtituerunt, idcirco in varias etiam de hac ultima quæſtione ſententias abiere. Alii perfectionem hominis in eo poſitam eſſe dicunt, ſi convenienter naturæ ſuæ facultatibus ſuis utatur: alii ſi facultatum earumdem uſus cum Dei propoſito conſentiat: alii tandem non aliter hominem putant perfectum evadere, quam cum illum ſua cogitandi agendique ratio ad pro-

po-

poſitum finem, nimirum ad *felicitatem*, deducit.

Sed ex iis quæ ſuperius diſputata ſunt ſatis liquet, tres illas hominis perfectionem definiendi rationes non ita multum inter ſe differre, quarum contra quoniam altera cum altera coit, conjungendæ idcirco & ſociandæ ſunt. Hominis perfectio vere poſita eſt in poſſeſſione facultatum tum ingenitarum tum acquiſitarum, quarum ope poſſumus adipiſci & reipſa veram felicitatem adipiſcimur, juxta Conditoris noſtri conſilia mentibus noſtris penitus infixa ipſoque ſtatu declarata in quo ſumus conſtituti.

Recte profecto quidam Scriptor, * „ Qui „ non aliam ob cauſam, inquit, obſequium „ præſtat, niſi vel quia formidat imperium, „ vel ſperat mercedem, nec virtutem colit „ diligitque propter ipſam virtutis præſtan„ tiam, hujus ſervilis & avara mens eſt. „ Qui contra virtutem unice ſectatur ob „ ejus convenientiam nativamque pulchri„ tudinem nulla habita ratione Dei univer„ ſarum rerum Conditoris rectoriſque, hic „ officium violat ei naturæ præſtandum, „ quæ omnium prima & perfectiſſima eſt. „ Qui autem Rationem, Pietatem, ſum„ mamque ſuam Utilitatem conjunctas ſequi„ tur, is ſolus ſimul & probus, & ſapiens, „ & pius eſt; qua quis indole præditus „ perfectionem adeptus eſt homine digniſ„ ſimam.

CA-

* *Theoria gratarum ſenſationum*, Gallice *Theorie des Sentimens agreables*. *Cap. VIII.*

CAPUT IX.

Quomodo humanis actionibus Naturales Leges accommodentur; ac primum de CONSCIENTIA.

§. I.

Quid ſit humanis actionibus Naturales Leges accommodare?

OFFICIORUM noſtrorum tum origine tum regula ſemel compertis, jam nihil aliud ſupereſt, quam ut in mentem revocemus quod antea dictum eſt (*Part. I. Cap. XI.*) de humanarum actionum *moralitate*; ſic enim intelligemus quomodo humanis actionibus Naturales Leges accommodentur, tum quis ſit hujuſce accommodationis exitus. (a)

Humanis actionibus Legum accommodatio nihil eſt aliud quam *dijudicatio moralitatis actionum cum Lege collatarum; qua facta dijudicatione, alias actiones cenſemus faciendas quia bonæ, alias omittendas quia malæ, alias autem pro noſtro arbitrio fieri vel omitti poſſe, quia ſunt indifferentes: unde, prout quis ſe geſſerit, laudem conſequitur aut vituperium, eum damnamus, vel eidem ſuffragamur.*

Hæc autem dijudicatio dupliciter fit. Nam aut proprias noſtras actiones dijudicamus, aut alienas. Noſtrarum actionum dijudi-

(a) Vid. *Puffend. De Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. III. §. 4. & ſeqq. & Offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. I. §. 5. 6.*

judicatio dicitur CONSCIENTIA, alienarum vocatur *imputatio*. Quæ duplex materia ſane intelligimus quanti momenti ſit, quantumque in morali diſciplina latiſſime pateat ejus uſus, unde nobis eſt paulo accuratius exploranda.

§. II.

CONSCIENTIÆ propria definitio eſt, quod *ſit ipſa Ratio inſiſtendam nobis Regulam, ſeu Naturalem Legem edocta, & noſtrarum actionum moralitatem, incumbentemque nobis obligationem dijudicans, noſtras videlicet actiones cum dicta Regula conferens, prout hæc Regula nobis innoteſcit.* Quid ſit Conſcientia?

Sæpe etiam pro conſcientia accipitur ipſum de noſtrarum actionum moralitate latum judicium, quod judicium ex integra ratiocinatione gignitur, ſeu conſequitur ex præmiſſis duabus propoſitionibus vel diſerte enuntiatis vel tacite intellectis. Conferuntur inter ſe duæ actiones, alia Legem includens, alia actionem de qua agitur: tum ex his propoſitionibus tertia deducitur qua illatum de qualitate propoſitæ actionis judicium continetur. In hunc modum habebat ſe *Judæ* ratiocinatio: Quicumque morti tradit inſontem, ſcelus admittit; hæc eſt Lex; Atqui ego inſontem morti tradidi, hæc eſt actio. Ergo ſcelus admiſi; hæc eſt conſequentia, ſeu quod judicium de patrato facinore Judas ferebat dictante ſua conſcientia.

§. III.

Conſcientia Legis cognitionem adjunctam habet.

CONSCIENTIA igitur Legis, atque præſertim Naturalis Legis cognitionem adjunctam habet: Naturalis enim Lex, cum ſit primigenius juſtitiæ fons, noſtrarum quoque actionum ſumma Regula eſt. Quoniam vero Leges nequeunt Regulæ vim obtinere, niſi nobis compertæ ſint, inde ſequitur conſcientiam eſſe noſtrarum actionum *proximam* Regulam; evidens enim eſt poſſe neminem Legi parere quam ignorat.

§. IV.

I. Regula.

QUIBUS ita poſitis, de præſenti argumento hæc prima ſtatuenda Regula eſt: *Illuſtrandam cuique ſuam conſcientiam eſſe, tum deinde conſulendam, ejuſque ſequenda conſilia.*

Illuſtranda conſcientia eſt: ſcilicet nihil horum omittendum eſt quibus & Legislatoris voluntas & Legum mens accurate poſſunt dignoſci, ut ſic vere perſpectum illud habeamus quidquid vel præcipitur, vel prohibetur, vel permittitur. Legislatoris enim voluntatem mentemque Legum ignorantes nunquam de noſtris actionibus ſanum judicium inſtitueremus, erroriſque fieremus ludibrium. Sed neque Legem dignoviſſe ſatis eſt; dignoſcenda etiam eſt propoſita nobis actio. Quocirca non ſolum actio in ſe ipſa expendenda eſt, ſed attendenda etiam quæ-

cum-

cumque actioni adjuncta ſunt, & quæcumque poſſunt ex illa conſequi. Alioquin periculum eſſet ne in uſurpandis Legibus deciperemur. Legum enim præſcripta ſic univerſa ſunt, ut nihilominus diverſimode adtemperanda ſint, prout actionibus noſtris peculiaria quædam adjunguntur, quæ quidem adjuncta in noſtrarum actionum moralitatem, atque ideo in officia noſtra influunt. Itaque non ſatis eſt judici plane compertam Legem eſſe, antequam litem dirimat; ſed præterea requiritur ut omnino perſpectam rem habeat quæ diſceptatur, quæque huic rei adjuncta ſunt.

Neque ſolum adipiſcendæ ſunt cognitiones illuſtrandæ Rationis cauſa, ſed ideo potiſſimum ut quavis data occaſione, ut par eſt, nos geramus. Omnino igitur conſulenda conſcientia eſt, ejuſque ſequenda conſilia, quoties quid agendum occurrit. Quæ conſulendæ conſcientiæ ea eſt obligatio, ut nemo ſit illius immunis. Coſcientia enim cum ſit ut ita dicam, Legislatoris voluntatum miniſtra & interpres, quidquid ſuadeat Legis vim & auctoritatem obtinet, unde conſcientiæ ſuaſu perinde ac Lege debemus affici.

§. V.

Conscientia igitur non aliter quam ſedulo illuſtrata noſtrarum actionum certiſſima Regula fit, cujus in exequendis noſtris officiis tuto poſſumus præſcripta colere. Is II. & III. Regula.

enim turpiter hallucinaretur, qui quoniam conſcientia noſtrarum actionum proxima Regula eſt, illud putaret recte fieri, quidquid ſibi fingeret vel Lege præcipi vel permitti. Hoc enim primum ſciendum eſt, an juſta de cauſa perſuaſum quid habeamus. Namque ut pulchre Puffendorfius (a) advertit, eatenus conſcientia humanas actiones dirigit, quatenus Legem edocta eſt, quoniam ad unam Legem proprie pertinet noſtras actiones dirigere. Si quis igitur conſilium certum, tutamque agendi rationem velit inire, ei ſervandæ ſunt quavis data occaſione ſequentes duæ Regulæ, tum in ſe ipſis ſimpliciſſimæ, tum uſurpatu facillimæ, quæ ultro fluunt ex noſtra ſuperiori Regula, ejuſque ſunt explicatio. (b)

II. Regula. *Antequam conſcientiæ ſequamur impulſum, ſedulo attendendum eſt an ea prudentia iiſque adjumentis inſtructi ſimus, quibus rem dijudicemus de qua agitur.* Qua prudentia adjumentiſque deficientibus, nihil poſſumus ſtatuere, multoque minus quidquam aggredi, niſi velimus eam temeritatem admittere, quæ cum admodum periculoſa, tum nulla venia digna ſit. Nihil tamen magis conſuetum eſt quam in hancce Regulam peccare. Quot enim homines, exempli cauſa, videre eſt, qui ubi de Religione, vel de intricatis Politicæ vel Mora-lis

(a) Vid. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. III.* §. 4.

(b) Vid. *Puffend. De offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. I.* §. 5. *& notam* 1. *Barbeyracii.*

lis diſciplinæ quæſtionibus diſceptatur, has vel illas partes propugnant, quamvis propoſitas quæſtiones nec valeant expendere, nec de illis judicare.

III. Regula. *Etiamſi quis ea prudentia iiſque adjumentis in univerſum inſtructus ſit quibus propoſitam rem poſſit dijudicare, videndum adhuc ſupereſt, an ea prudentia iiſque adjumentis ita jam nunc utatur, ut nova alia rei exploratione non opus illi ſit, quo ſe conſcientiæ motibus permittat.* Quæ Regula quoniam non ſatis attenditur, quotidie fit ut eas actiones ſecuri admittamus, quarum injuſtitia ſe facile proderet, ſi perſpicua principia quædam adverterentur, quorum cæteroquin juſtitiam & neceſſitatem intelligimus.

Poſitas modo Regulas quiſquis adhibebit, id omne præſtiterit quidquid poterat & debebat præſtare: atque etiam ſi res ſpectentur ut ſolent evenire, certum eſt quod neque judicans decipietur, nec quid agens aberrabit. Quibus omnibus adhibitis cautionibus, ſi nobis nihilominus contingat errare, cujuſmodi error prorſus non eſt impoſſibilis, eſt illa humanæ naturæ neceſſario conjuncta imbecillitas, vel apud ſummum Legislatorem ſuam ſecum veniam ferens.

§. VI.

Conſcientia *antecedens & ſubſequens*

De noſtris actionibus judicium ſtatuimus ipſi vel priuſquam actionem edamus, vel poſtquam illam edidimus, unde duplex con-

ſcientia diſtinguitur, nimirum CONSCIENTIA ANTECEDENS, & CONSCIENTIA SUBSEQUENS.

IV. Regula. Ex qua diſtinctione ſequitur hæc IV. REGULA: *ſapientis eſt conſcientiam ſuam conſulere & ante ſuſceptam rem & poſt ſuſceptam.*

Quicumque quid aggreditur antequam expenderit an illud rectum pravumne ſit, is officii ſui exequendi manifeſtam incuriam fert, qua nihil homini pernicioſius poteſt eſſe. Namque ex hujuſmodi ſocordia tum graviſſima pericula imminent, tum errores generantur quam maxime exitioſi. Sed quoniam contingere poteſt ut per primam rei dijudicationem ad agendum impulſi ſimus vel cupide, vel præcipitanter, vel quia res levius explorata fuerat; id quod factum eſt rurſus expendi debet, ut vel bonis partibus conſtanter inhæreamus, ſi bonæ partes ſuſceptæ ſint; vel illud emendetur in quo peccatum eſt, ſi tamen poſſit emendari; ac tandem ut neceſſariæ cautiones adhibeantur, ne ſimile quid in poſterum peccetur. Quæ nova editarum actionum exploratio eo pluris noſtra refert, quod, ipſa teſte experientia, ſæpiſſime factæ rei longe aliud judicium ineatur quam faciendæ. Ita enim comparati homines ſunt, ut cum primum agenda res eſt, in errorem non ſemel prolabantur, vel præjudicatis opinionibus irretiti, vel cupiditatibus ſtimulati, quæ tamen præjudicatæ opiniones atque cupiditates vel partim vel omnino ſolent evaneſcere, poſtquam perfecta res eſt, unde noſtræ actionis natu-

ram

ram, & quid ex ea conſequatur, commodius liberiuſque valemus dijudicare.

Vir probus in eo præſertim cernitur, ſi ſuas actiones exploret, & antequam illas edat, & poſtquam illas edidit: quod maximo quidem argumento eſt, illum officiorum ſuorum exequendorum vere ſtudioſum eſſe.

§. VII.

Porro inſtitutum de noſtris actionibus judicium diverſos plane ſortitur effectus, prout illo noſtrarum actionum judicio vel abſolvimur vel damnamur: Si noſtræ nobis conſcientiæ judicium ſuffragetur, ea potimur animi lætitia & quiete, quæ virtutis certiſſima & dulciſſima merces eſt: Quas actiones Ratio laudat, ex illis verum ſemper gaudium enaſcitur, & quo ſæpius mens eas actiones reputat, eo ſæpius etiam cum illarum recordatione mentis gaudia renovantur. Quæ revera ſors poteſt eſſe felicior, quam ſi nobis bene ſit cum nobis ipſis, & juſta de cauſa ſummo illi Deo, cui ſubjacemus, charos nos eſſe acceptoſque confidamus? Sin contra per noſtram ipſorum conſcientiam improbemur, improbationem hanc neceſſario ſubſequentur ſollicitudo, anxietas, timor, animique acres morſus graveſque objurgationes: quæ adeo miſerrima ſors eſt, ut, qui in ea verſetur, cum Veteres dixerint homini ſimilem a furiis diſcruciatio.

Conſcientia ſubſequens vel eſt *quieta*, vel *ſollicita*.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori: Prima hæc eſt ultio, quod, ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.

Juvenal. *Sat.* 13.

Inde eſt ut Conſcientia ſubſequens dicatur *quieta* vel *ſollicita*, *bona* vel *mala*.

§. VIII.

Conſcientia vel eſt *deliberata* vel *dubia*.

Quod de noſtrarum actionum moralitate judicium ſtatuimus, ita temperatur diverſimode, ut hinc novæ iterum oriantur conſcientiæ diſtinctiones, quas hìc juvat indigitare. Hæ autem diſtinctiones æque in univerſum conſcientiæ antecedenti ac ſubſequenti accommodari poſſunt, quamquam plerumque antecedenti conſcientiæ peculiari ratione accommodatiores eſſe videantur.

Conſcientia igitur vel eſt *deliberata* vel *dubia*, prout nobis plus minuſve conſtat de qualitate propoſitæ actionis.

Quoties nobis citra ullum dubium conſtat propoſitam actionem cum Lege vel conſentire vel ab ea diſſentire, aut etiam actionem illam nec præſcriptam nec prohibitam eſſe, atque ſic certo ſcimus actionem illam vel faciendam, vel omittendam eſſe, aut in noſtro arbitrio poſitum ut eam faciamus vel omittamus, tum dicitur Conscientia deliberata. Sin contra hæreat animus

mus in ſuſpenſo , quia quibus impellitur inter ſe cauſæ diſſident , earumque par videtur auctoritas , ita ut incerta mens huc, & illuc fluctuet, tunc dicitur Conscientia dubia. Cujuſmodi Corinthiorum erat dubitatio neſcientium an ſibi liceret eos cibos edere, qui fictis Diis oblati eſſent, vel an iis cibis tenerentur abſtinere. Hinc res videbatur per Evangelicam libertatem licita ; hinc verebantur Corinthii, ne, ſi tales cibos ederent, fictorum numinum cultui aliquocumque modo aſſentirentur. Quapropter ſuſcipiendarum partium dubii, a S. Paulo quid facto opus per litteras ſciſcitati ſunt.

Ex qua conſcientiæ vel certæ vel dubiæ diſtinctione ſequuntur etiam aliquot Regulæ.

V. Regula. *Ille ſuo officio non omnino defungitur, qui quod per conſcientiam certam jubetur exequi tanquam invitus exequitur: ſed conſcientiæ juſſis animo volenti lubentique, & celeriter obſequendum eſt.* (a) Qui contra citra ullam addubitationem ullamque averſationem conſcientiæ certæ detrectant imperium, eorum eſt quam maxima poteſt eſſe pravitas & nequitia, & longe fœdius crimen quam ſi peccaſſent cujuſdam cupiditatis impetu vel illecebris tanquam a ſe ipſis avulſi. (b) V. Regula.

VI. Regula. Quod ad conſcientiam dubiam attinet, *nibil omittendum eſt quo emerga-* VI. Regula.

(a) Vid. *ſup. Part. II. Cap. V. §. 7.*
(b) Vid. *Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. Cap. XX. §. 19.*

gamus e dubio, ſed neque quidquam ſuſcipiendum eſt quod neſciamus an bonum malumve ſit: tacitus alioquin foret ille Legis contemptus, ſi volentes periculum adiremus violandæ Legis, quæ agendi ratio prorſus eſt vituperio digna. Hæc autem ſexta Regula præſertim in eis rebus tenenda eſt, quarum eſt magnum momentum.

VII. Regula.

VII. Regula. *Verum ſi res ita ſe habeat, ut hoc vel illud neceſſario faciendum, & hæ vel illæ partes neceſſario ſint obeundæ, adhibenda eſt nova diſquiſitio, ut ea pars internoſcatur, quæ probabilior & tutior eſt, quæque periculum minus involvit.* Itaque ſolet illa tutior pars eligi quæ cupiditatibus adverſatur, nec nimium indulget propenſionibus. Sic etiam in dubia cauſa rarum eſt erroris periculum, ſi potius eum amorem auſcultes qui aliis debetur, quam quo te ipſum proſequeris.

§. IX.

Conſcientia *ſcrupuloſa*.

Præter conſcientiam dubiam, quæ poteſt etiam *incerta* dici, alia eſt etiam Conſcientia scrupulosa, quam gignunt leves & frivolæ cauſæ, mentem ſubeuntes, quamvis aliunde nulla vera ſit addubitandi ratio.

VIII. Regula.

VIII. Regula. *Igitur ex frivolis cauſis ortæ addubitationes neutiquam obſtare debent quominus id agatur quod agendum eſt: quæ quoniam addubitationes vel ex conſcientia plus æquo religioſa, vel ex craſſa ſuperſtitione ſuum or-*

ortum habere ſolent, ideo brevi excutientur, ſi res accuratius expendatur.

§. X.

ADVERTENDUM deinceps eſt *Conſcientiam* deliberatam prout vere vel falſo judicat, VERAM ſive rectam, aut FALSAM ſive errantem eſſe.

Conſcientia *vera* vel *falſa*.

Eorum, verbi cauſa, recta conſcientia eſt, qui, licet Naturali Lege ſui ipſius juſta defenſio permittatur, nihilominus a vindicta proprie dicta abſtinendum eſſe judicant. Contra qui ſe putant, ubi de hæreticis agitur, jure ſolutos ea Lege qua jubemur illa præſtare quæ pacta ſunt, eorum profecto errans conſcientia eſt.

Sed errans conſcientia quo ſe debet vertere?

IX. REGULA. Reſpondeo: *Conſcientiæ ſemper obſequendum eſſe, vel etiam erranti, atque ſive ſuperabilis error, ſive ſit inexſuperabilis.*

IX. Regula.

Cui Regulæ forſan prima fronte ineſſe paradoxon cenſebitur, ſiquidem per illam ea præcipi videantur quæ mala ſunt: certiſſimum enim eſt, qui erranti conſcientiæ obſequitur, eum in malas partes ſe convertere. Quæ tamen partes non æque pravæ ſunt, ac ſi rem aggrediatur quam omnino credit Legibus adverſari. Qui enim illud facit quod contra Legem fieri judicat, & Legem & Legislatorem manifeſto contemnit. Sed qui malas partes ideo ſuſcipit,

quia putat bonas eſſe, in eo laudandus eſt quod ita ſe affectum exhibet, ut Legislatoris mandata velit exequi.

Ex quo tamen non ſequitur eum ſemper excuſandum eſſe, qui juxta errantem conſcientiam ſe gerit, quia non aliter excuſationi locus eſt, quam ſi ſit *inexſuperabilis error*. Ubi contra *ſuperabilis error* eſt, atque in iis peccatur, quæ vel *præſcripta*, vel *prohibita* ſunt, pariter peccatur, ſive conſcientiæ pareatur, ſive ejus judicium impugnetur. Unde liquet, ut & hoc rurſus advertatur, quanti cunjuſque interſit ſuam conſcientiam erudire, ſiquidem quoties potuit error diſcuti, nec diſcuſſus eſt, qui conſcientiam errantem ſequitur miſere cogitur peccare, quaſcumque partes amplectatur. At vero qui in re *indifferenti* fallitur, quam falſo perſuaſum habebat *præſcriptam* vel *prohibitam* eſſe, is non aliter peccat, quam ſi quid admiſerit adverſus conſcientiæ dictata.

§. XI.

Conſcientia *demonſtrativa* & *probabilis*.

DENIQUE conſcientia recta rurſus duplex eſt. Vel enim eſt apprime *illuſtrata*, ſeu *demonſtrativa*; vel ſimpliciter *probabilis*.

CONSCIENTIA APPRIME ILLUSTRATA ea eſt, quæ principiis certis, argumentiſque demonſtrativis nititur, quantum ſaltem fas eſt per moralium rerum naturam; ita ut clare & diſtincte probari poſſit rectum judicium eſſe quod de hac vel illa actione in-

inſtituitur. Sin contra ita ſe judicium habet quod ferimus, ut nobis quidem de ejus veritate conſtet, ſed ea judicii noſtri veritas per evidentem methodum & inconcuſſa principia nequeat demonſtrari, tunc dicitur CONSCIENTIA PROBABILIS.

Conſcientia probabilis ſuum habet fundamentum in *exemplo* atque *auctoritate*, quibus ſubobſcurus quidam *naturalis convenientiæ* ſenſus, & interdum *cauſæ vulgares* adjunguntur, quæ ex ipſa rerum natura deductæ videntur. Cujuſmodi probabili conſcientia plerique homines impelluntur. Quotus enim quiſque eſt qui per veram nitidamque conſequentiarum ſeriem ex genuinis fontibus ineluctabilem neceſſitatem hauriat exequendorum officiorum? Quod etiam difficilius evadit, ſi moralis diſciplinæ præcepta illa diſputentur, quæ cum a primis principiis paulo remotiora ſint, longam ratiocinationem deſiderant. Nec contra Rationem faciunt, qui probabilem conſcientiam ducem ſequuntur. Quorum enim ſic informata mens eſt, ut rerum naturam non bene dignoſcant, iis opus eſt pro judicio peritorum hominum ſe gerere; nec aliam habent viam cui tuto poſſint inſiſtere. Minus autem perſpicaces homines adoleſcentibus poſſunt aſſimilari quorum non adhuc adultum ingenium eſt, unde tenentur ſuorum moderatorum auſcultare monita præceptiſque obſequi. Itaque quibuſdam in rebus, proprio judicio noſtro deficiente, ex hominum ſapientum & peritorum exemplo atque

que auctoritate recte poſſumus ad agendum impelli.

Sed quoniam denique non ita firma ſunt conſcientiæ probabilis fundamenta, ut iis omnino inhærendum ſit, hæc ſtatuenda eſt X. Regula.

X. Regula. X. REGULA. *Omnino enitendum eſt ita veriſimillimas fieri noſtras opiniones, ut, quantum fas eſt, ad conſcientiam accedant bene illuſtratam & demonſtrativam, nec probabilibus immorandum, niſi quando non datur ulterius progredi.*

CAPUT X.

Quomodo actiones humanæ cum Naturalibus Legibus comparatæ VITUPERIO *aut* LAUDE, PÆNA *vel* PROEMIO *dignæ ſit. Quid ſit actionum* IMPUTATIO. (a)

§. I.

Imputabilitas & *Imputatio* diſtinguūtur quid per *Cauſam Morale* intelligatur.

HUMANARUM actionum naturam, earumque cum Jure conſenſum diſſenſumve ſuperius exponentes, (b) hanc advertimus actionibus illi præcipuam dotem ineſſe, ut *imputationem* admittant. Scilicet qui actiones illas edit, merito poteſt illarum auctor haberi, ſive poſſunt ei actiones illæ merito imputari, quarum rationem reddere jure

(a) Vid. *in hoc Caput & ſequens, Puffend. Jus Nat. & Gent. Lib I. Cap. V. & IX.*

(b) *Part. I. Cap. III.*

jure poteſt compelli. Igitur quicunque exitus ex aliqua actione conſequentur, actionem facienti juſte tribuentur, & in eum, tanquam in cauſam recident. De quo Regulam hanc ſtatuimus: *Voluntaria quævis actio ſuapte natura poteſt imputari*.

Is in univerſum cujuſdam actionis Causa Moralis dicitur, *qui actionem illam vel omnino vel partim* edidit, propria voluntate impulſus; ſive ipſe actionem hanc tum phyſice, tum proxime perficiat, atque ita ſit illius *auctor*; ſive illam alieno auxilio exequatur, atque ita ſit illius *cauſa*. Igitur qui alium ſive propria manu, ſive ſicariorum ope vulnerat, pariter cauſa moralis eſt inde ſubſequentis mali.

Advertebamus quoque non confundendam eſſe humanarum actionum *imputabilitatem* cum præſenti earumdem *imputatione*. Imputabilitas enim, ut modo dicebatur, actionis qualitas eſt: imputatio autem fit vel a Legislatore vel a Judice, vel a quolibet alio, qui jam nunc alicui actionem eam imputat, cujus ea natura eſt ut poſſit imputari.

§. II.

Quid ſit *imputatio*, quæ locum non habet, niſi & Lex & actio notæ ſint.

Imputatio itaque proprie *judicium eſt quo cujuſdam actionis Legibus præſcriptæ vel prohibitæ boni malive exitus ei tribuuntur, qui hujus actionis auctor vel cauſa moralis judicatus eſt, unde ſequitur ut ejus debeat rationem reddere, & propter illam laude aut vituperio, præmiis vel pœnis affici*.

Imputationis non ſecus ac conſcientiæ judicium fit propoſitæ actioni Legem applicando, alteramque cum altera conferendo, ut deinde feratur ſententia de actionis *merito*. Atque ſic actionis auctori bonum vel malum, pœna vel merces irrogatur per Legem conſtituta. Quæ imputatio ut recte fiat, & legitimum actionis judicium ineatur, omnino neceſſe eſt non modo Legem & genuinum illius ſenſum tenere, ſed præterea opus eſt dignoviſſe propoſitam actionem, omniaque actioni adjuncta, quæ qualicumque ratione ad Legem referuntur. His enim deficientibus Lex perperam applicaretur, unde imputatio judiciumque falſa forent & vitioſa.

§. III.

Exempla. SED res aliquot exemplis illuſtranda eſt. De Principatu alterutrius urbis Romæ vel Albæ certamen initum eſt. A partibus Romanorum ſtabant tres fratres HORATII, pro Albanis vero pugnabant tres quoque fratres CURIATII. Horatiorum unus tribus Albanis fratribus interfectis ſororem quoque ſuam ira percitus interemit, quoniam hæc illius Curiatii cui deſponſata erat, & mortem deflebat, & interfectorem fratrem graviter objurgabat. Horatius ergo coram Duumviris accuſatus eſt. Definiendum autem erat an Lex de homicidio ad Horatii facinus ſpectaret, deberetque Horatius homicidii pœnas luere. Judices quidem violatæ Legis

reum Horatium cenſuerunt damnaruntque. Sed longe alia fuit Populi ſententia ad quem Horatius de Duumvirorum judicio provocavit. Judicavit enim Populus puellam Romanam, quæ ſuis privatis commodis potius quam publicis ſtuderet, per duellium numero quodammodo adſcribendum eſſe, atque in eam non ſecus ac in hoſtem ſæviendum. Igitur Judice Populo Horatius abſolutus eſt. Alterum adhuc addamus exemplum imputationis utilis, ſeu Judicii præmium addicentis. Tullius Cicero ineunte Conſulatu ſuo Catilinæ conjurationem comperit, unde ſua Reipublicæ pernicies impendebat. Qua in re tam difficili ita ſe prudenter, ita ſolerter geſſit Cicero, ut paucorum ſceleſtorum interitu penitus evanuerit ea conjuratio, nullo tumultu, nulla ſuborta ſeditione. Attamen Julius Cæſar aliique nonnulli a Cicerone alieni eum coram Populo accuſavere, utpote qui prohibentibus Legibus eos cives mori juſſiſſet contra quos nullum intervenerat Senatus Populive judicium. Populus vero Catilinæ facinus & periculum expendens in quo verſata Reſpublica fuerat, tum etiam maximum in tam gravi caſu Conſulis in Rempublicam ſtudium reputans, non modo Ciceroni Leges condonavit, quæ ab accuſatoribus violatæ jactabantur, ſed eum quoque decrevit glorioſo Patris Patriæ titulo inſigniri.

§. IV.

Principia: 1. Non ideo jam nunc actio eſt imputanda, quia imputabilis eſt.

SED quo noſtræ diſputationis principia & fundamenta recte conſtituantur, advertendum eſt, *Actionem non ob id unum imputandam eſſe, quia imputabilis eſt*. Namque actio ut poſſit revera imputari, neceſſe eſt ſimul adſint hæc duo: primum ut actio ſuapte natura ſit imputabilis; deinde ut actionis auctor aliqua de cauſa teneatur actionem illam vel facere vel omittere. Quæ definitio clarior evadet exemplo: Fingantur igitur duo juvenes ingenii dotibus fortuniſque pares, quorum neuter Algebram teneatur callere, alter tamen huic ſcientiæ ſtudeat, quam alter omittit. Equidem ea eſt alterius actio, & omiſſio alterius, ut utraque ſit imputabilis: neutra tamen in noſtra Hypotheſi nec in bonam nec in malam partem imputabitur. Sed ſi fingatur duos illos juvenes pro ſui Principis voluntate, alterum quidem Regi a Conſiliis futurum eſſe, alterum vero rei bellicæ demandatum, tunc certe in bonam vel in malam partem merito utrique imputabitur ſua vel diligentia vel negligentia in addiſcenda, verbi gratia, Juriſprudentia vel mathematica. Etenim uterque omnino tenetur eas cognitiones adipiſci quibus opus habet ut commiſſa ſibi munera convenienter exequatur. Hinc manifeſto liquet imputabilitati non eſſe locum, niſi ubi facultas adeſt agendi vel non agendi, quæ præterea imputabilitas non ali-

ter

ter in *præſentem imputationem* vertitur, niſi quis teneatur actionem præſtare vel omittere.

§. V.

Si quando alicui actio imputatur, ei etiam, ut jam dictum eſt, boni malive actionis exitus imputantur. Hinc ſequitur tunc juſtam imputationem eſſe, cum aliqua intereſt neceſſaria vel accidentalis cohæſio inter actionem factam omiſſamve, hujuſque factæ vel omiſſæ actionis bonos maloſve exitus. Præterea requiritur ut hæc inter actionem actioniſque exitum cohæſio actionis auctori nota ſit, aut ſaltem poſſit actionis exitus veriſimiliter prævideri. Alioquin non poteſt imputationi locus eſſe, quod melius exemplis aliquot innoteſcet. Ponatur itaque armorum fabricator, qui quidem arma vendit maturæ ætatis homini, in quo ſana mens ſedatuſque animus appareat, & cui nihil mali propoſitum eſſe videatur. Interim homo ille confeſtim arreptis armis alium impetit occiditque. Equidem armorum fabricatori nihil eſt quod imputetur, quippe qui arma vendendo jure ſuo uſus eſt, nec id quod contigit vel poterat vel tenebatur prævidere. At ſi quis ex neglectu in loco cuivis pervio ſclopetos pulvere pyrio plumbeiſque glandibus inſtructos ſuper menſa derelinquat, iiſque aut ſe vulneret aut interficiat quidam puer periculi neſcius, certe in culpa eſt ſclopetorum dominus, & caſum tene-

2. Non fit imputatio, niſi ſit aliqua cohæſio inter actionem.

tur præſtare: quoniam ex illius actione manifeſto & proxime conſequebatur quod contigit, atque illud prævidere poterat debebatque.

Similis habenda ratio eſt hujus actionis ex qua conſecuta eſt quædam utilitas, quæ profecto utilitas ei nequit imputari, quo neſciente & incogitante actio contigit. Sed quo nobis habeatur aliqua ſaltem gratia, neceſſe non eſt ut de felici actionis exitu plane conſtiterit, ſatis enim eſt felicem illum exitum expectari merito potuiſſe, qui ſi deficiat, nihilominus agentis laudabile propoſitum eſt.

§. VI.

3. Quas ob cauſa dicatur quis præmio vel pœna dignus.

VERUM ut noſtræ diſputationis a prima origine principia repetantur, advertendum eſt, non poſſe hominem intelligi natura ſtatuque ſuo quibuſdam in agendo Legibus obnoxium, niſi ſimul intelligatur humanæ naturæ perfectionem in ſervandis iis Legibus poſitam eſſe, in negligendis vero abiectionem & detrimentum. Sic autem comparati ſumus, ut quidquid perfectum & ordinatum eſt, id natura nobis arrideat, & contra diſpliceat illud quidquid imperfectum & inordinatum eſt. Quapropter qui officia ſua exequuntur, ut deſtinatum ſibi finem aſſequantur, atque ſic humanæ naturæ proſunt eamque perficiunt, iis quidem ſuffragamur, illoſque noſtra tum benevolentia, tum exiſtimatione ita dignos cenſemus, ut

non

non ſolum eam benevolentiam exiſtimationemque noſtram, ſed quidquid utilitatis ex utraque conſequitur merito ſibi vindicent. Eos contra, qui pravo inditarum ſibi facultatum uſu naturam ſuam conditionemque deprimunt & adulterant vel inviti damnamus, fatemurque merito illos vituperari, merito illis ſuccenſeri, rationique conſentaneum eſſe ut meritas pœnas luant ſuæ improbitatis. Ea vera ſunt *meriti* ſeu virtutis & nequitiæ fundamenta.

§. VII.

Meritum igitur ſeu probitas aut virtus, *ea dos eſt ob quam eorum, qui nobis vel ſuperiores vel æquales, aut etiam inferiores ſunt, comprobationem, exiſtimationem atque benevolentiam, & quidquid utilitatis ex eis aliorum affectibus conſequitur, jure nobis vindicamus*. Contra Meriti defectus ſive nequitia *eſt ea Merito ſeu virtuti adverſata dos ob quam in aliorum contemptum & vituperium incurrimus, cogimurque confiteri dignos nos eſſe, qui contemptum vituperiumque illud, & moleſtos inde conſequentes exitus patiamur*. Quid ſit *Meritum* & *Nequitia*.

Quæ probitatis & nequitiæ definitiones ſuum in ipſa rerum natura manifeſto fundamentum habent, atque cum ſenſu communi vulgoque receptis opinionibus apprime conſentiunt. Actiones enim, prout ſunt moraliter bonæ vel malæ, auctore Ratione vel laudantur vel vituperantur. Neque res

aliter ſe habere poteſt, ſi ad Legislatorem ſpectetur. Legislator enim ipſe ſibi turpiter contradiceret, niſi rebus iis ſuffragaretur quę cum illius Legibus conſentiunt, ea vero damnaret, quæ eiſdem Legibus adverſantur. Qui vero Legislatoris ſubditi ſunt, ad ejus mentem judicia ſua tenetur accommodare.

§. VIII.

4. Sui ſunt gradus meriti ſeu virtutis, & nequitiæ, tū etiam imputationis.

(a) *Part. I. Cap. XI. §. 12.*

JAM ſuperius adnotatum eſt alias actiones aliis meliores eſſe, alias vero pejores aliis, quod ita evenit, vel propter agentis animum, vel propter actionum adjuncta. (a) Igitur meriti ſeu virtutis, & nequitiæ, ſui ſunt gradus, poſſuntque gradus illi vel elatiores vel demiſſiores eſſe. Quapropter quoties id agitur ut definito modo alicui actio imputetur, attendenda ſunt actionis adjuncta, agentiſque animus; laudis enim aut vituperii, mercedis aut pœnæ ſui quoque ſunt gradus pro ipſo virtutis aut nequitiæ gradu. Nam partum ex actione bonum malumve, prout majus vel minus eſt; prout erat plus minuſve difficile actionem facere vel omittere; prout majori vel minori libertate atque judicio edita actio eſt; prout validiores vel imbecilliores cauſæ fuerunt quibus ad agendum impulſi ſumus, agentiſque mens & conſilium majorem minoremve præſtantiam & magnanimitatem habuerunt, ſic etiam actionis imputatio majorem habet minoremve efficaciam, hujuſque imputationis exitus vel utiliores ſunt vel exitioſiores.

§. IX.

§. IX.

Poteſt a pluribus imputatio fieri, ut jam indigitatum eſt: pulchre autem intelligimus pro actionum varietate varios etiam imputationis effectus eſſe, quorum effectuum majus minuſve momentum eſt pro imputantium qualitate, & imputationis jure quod eis competit. Imputatio nonnunquam vel ſola laude vel ſolo vituperio circumſcribitur, ſed longius nonnunquam progreditur. Hinc duplex diſtinguitur imputationis genus: alia eſt SIMPLEX, alia EFFICAX. Simplex imputatio ea eſt per quam actio unice probatur vel improbatur, nec actionis auctor aliud quidquam conſequitur præter laudem aut vituperium. Efficax imputatio ea eſt, quæ non in ſola laude, vel in ſolo vituperio conſiſtit, ſed aliquem præterea gignit bonum malumve exitum, ſeu verum præſenſque aliquod commodum vel incommodum, quod in actionis auctorem recidit. 5. Imputatio vel eſt *ſimplex*, vel *efficax*.

§. X.

Imputatio ſimplex poteſt a quolibet indiſcriminatim fieri, ſive ejus peculiariter interſit actionem factam vel omiſſam eſſe, ſive ejus non aliter actio interſit quam ob aliquam cauſam generalem remotamque. Quoniam enim omnium hominum in humana ſocietate refert Naturales Leges dili- 6. Simplicis & efficacis imputationis effectus.

genter ſervari, hinc unicuique partum eſt jus alienas actiones laudandi aut vituperandi, prout hæ actiones cum Naturalibus Legibus conſentiunt, vel eiſdem adverſantur. Quinetiam ad hujuſmodi laudem aut vituperium quodam obligationis genere quivis adſtringitur, ita poſtulante Legislatoris Legumque reverentia; ac is certe in univerſa & ſingula ſocietatis membra peccaret, qui ſuo ſaltem aſſenſu diſſenſuve non teſtaretur quanti probitatem virtutemque faciat, & quantum a nequitia & ſcelere ſit averſus.

Sed quod ad efficacem imputationem attinet, neceſſe omnino eſt, ut jure fiat, alicujus peculiariter & proxime intereſſe actionem fieri vel omitti. Eorum autem peculiariter & proxime actio intereſt, 1. ad quos pertinet actionem *ordinare*: 2. Eorum quoque actio intereſt propter quos fit, & in quorum poteſt utilitatem vel detrimentum converti. Itaque Princeps res quaſdam conſtitutis Legibus præcipiens aut vetans, mercedem pollicitus aut pœnam minitatus, Legum ſuarum cultui proculdubio debet invigilare, atque illi jus competit ſuis ſubditis quas faciunt actiones imputandi, ſive eos remunerandi aut puniendi: Idem de eo dixeris cui alieno facto injuria vel damnum illatum eſt; injuriam enim vel damnum paſſus alterutrum vel utrumque actionis auctori merito imputabit, & jure poſcet damnum ſarciri, & de injuria ſibi pro æquitate ſatisfieri.

§. XI.

§. XI.

Potest ergo contingere ut actionis auctori ſua actio per plures merito imputetur, eam enim unuſquiſque pro ſua parte imputat, quia ſingulorum quoad diverſa intereſt. Sin eorum aliquis cujus intereſt, pro qua parte ſua intereſt, jus ſuum dimittat, nec actionem imputet agenti, nihilominus cæteris ſalvum manet ſuum jus, quod poſitum non erat in alterius poteſtate peculiare ſuum jus dimittentis. Injuriam mihi quis intulit: poſſum quidem ego, quod ad me attinet, injuriam condonare facienti; ſed per meam veniam neutiquam minuitur jus Principi competens injuriam illatam dijudicandi, ejuſque auctorem plectendi, utpote qui violaverit Leges, civilemque ordinem & diſciplinam interturbarit. At ſi actionem imputare nolint ii omnes quorum intereſt, & injuriam ſceluſque ſinguli ſimul condonent, tunc actio habetur moraliter infecta, quia nullum habuit moralem effectum.

7. Si omnes quorum intereſt actionem non imputent, actio cenſetur infecta.

§. XII.

Advertendum tamen eſt bonarum malarumque actionum cum aliquo diſcrimine imputationem fieri. Legislator enim ſi quamdam bonæ alicujus actionis mercedem conſtituerit, hoc ipſo ad dandam mercedem tenetur; hanc enim exigendi jus eis conceſſit qui illam obſequio ſuo promeriti ſunt. Sed quod

8. Quod ſit diſcrimen inter bonarum malarumque actionum imputationem?

quod ad pœnas ſpectat quæ in facinoroſos homines conſtitutæ ſunt, eas revera poteſt Legislator, ſi velit, & citra ullam controverſiam infligere, nec merito poteſt reus de pœnis inflictis conqueri, in quas ob imperii detrectationem incurrit. Inde tamen non ſequitur Legislatorem omnino teneri abſque ulla venia ſontes plectere, ſed in ejus poteſtate poſitum ſemper eſt ſcelus ulciſci vel condonare, ſceleriſque pœnam in integrum remittere, vel pro parte imminuere, cujus adhibendæ coercitionis, aut veniæ in integrum vel partim conceſſæ ſubeſſe poſſunt legitimæ cauſæ.

CAPUT XI.

Cum variis actionum generibus principia noſtra conferuntur, ut dignoſcatur ratio actionum illarum imputandarum.

§. I.

Quænam actiones jam nunc imputentur?

QUÆ modo principia ſtatuimus, poſſent illa quidem ſufficere: ſed operæ pretium eſt humanas actiones cum principiis illis conferre, & accuratius caſus illos dignoſcere, actioneſque illas perſpectas habere, quæ nobis poſſunt imputari.

1. Ac primo quidem ex illis quæ dicta ſunt conſequens eſt alicui jure imputari quamvis actionem factam omiſſamve, cujus auctor & cauſa fuit; quamque tenebatur facere vel omittere.

2. Eo-

Eorum actiones qui Rationis expertes ſunt.

2. Eorum actiones qui Rationis expertes ſunt, quales dixeris infantes, amentes, furioſos, imputationem non admittunt; nec enim ibi locum habet imputatio, ubi deficit intellectus. Etenim qui quid faciant neſciunt, nec illud valent cum Legibus conferre, horum actiones proprie *humanæ* non ſunt, & nullam includunt moralitatem. Objurgat quis puerum, v. g. aut illum verberat: ea non eſt *pœna*, ſed ſimplex animadverſio, cujus hic præcipuus finis eſt, ne puer ille pravos mores contrahat.

De iis quæ fiunt ex ebrietate.

3. Quod ad ebrietatem attinet, quævis ebrietas in quam quis data opera ſeſe demerſit, in cauſa non eſt, cur admiſſum ab ebrio flagitium ei non imputetur.

§. II.

De rebus impoſſibilibus, & occaſionis defectu.

4. QUÆ quis revera non valet præſtare, illi non imputantur; nec ſi juſſam rem ideo omiſerit, quoniam hujus faciendæ defuit occaſio. Quo enim omiſſæ actionis fiat imputatio, prorſus neceſſe eſt, ut ſimul adſint hæc duo: 1. ut fuerint ad agendum neceſſariæ vires rationeſque; tum 2. ut quæ ſuppetebant ad agendum rationes ita potuerint adhiberi, ut alii potiori officio exequendo non officerent, nec ex illis grave malum aliquod ſequeretur, quod is non tenebatur perpeti, qui actionem omiſit. Sed alia cauſa illorum eſt qui propria ſua culpa præſcriptam actionem ſibi reddiderunt impoſſibilem: Legislator enim omiſſam actionem

nem illis non minori jure imputabit, quam ſi actionem poſſent facere, nec vellent: Ea Romæ fuit quondam illorum cauſa, qui ne poſſent arma tractare, & quo militiæ immunes eſſent, pollicem ſibi præſcindebant. Similiter nulla eſt debitoris excuſatio, qui rei familiaris mala adminiſtratione eo egeſtatis prolapſus eſt, ut æri alieno impar ſit. Quinetiam ſi quis eam rem aggreſſus eſt quam noverat, vel facile noviſſe poterat, ſupra ſuas vires poſitam eſſe, ei actio hæc merito imputabitur, ſi tamen inde aliquis alius quoddam detrimentum paſſus ſit.

§. III.

De dotibus naturalibus.

5. MENTI vel corpori natura dotes inſitæ nequeunt ex ſe ipſis in bonam nec in malam partem imputari. At vero iis impendenda laus eſt qui ſua cura ſuoque ſtudio aut innatas virtutes excolunt, aut vitia emendant, ſi quæ natura inſevit. Quibus contra ob nequitiam vel inertiam inquinata mens vel debilitatum corpus eſt, iis merito imputantur animi ſordes, aut corporis imbecillitas.

De iis quæ per exteriores cauſas gignuntur.

6. Exteriorum cauſarum effectus, & eventus quicumque ſint, nemini poſſunt in bonam malamve partem imputari, niſi quis forte potuerit & debuerit effectus & eventus illos excitare, vel impedire, aut temperare, ſeque in illis excitandis, vel impediendis, aut temperandis diligentem aut ſe-

gnem

gnem exhibuerit. Itaque aratori bona vel mala ſeges imputatur, prout ſegnius vel accuratius agros excoluit ſibi demandatos.

§. IV.

7. Quod ad res attinet ex errore vel per ignorantiam factas, in univerſum ſtatui poteſt, illud imputandum non eſſe, quod per inexſuperabilem ignorantiam contigit, cujus ignorantiæ tum origo, tum cauſa minime fuit voluntaria. Quapropter ſi Princeps mutatis veſtibus Regnum ſuum ignotus peragretur, ſuis ſubditis non poteſt merito ſuccenſere, ſi ſuum Principem debitis honoribus proſequuti non ſunt. Sed iniqua ſententia merito Judici imputaretur, qui *facti* vel *juris* accuratam diſquiſitionem omittens, ea neſcivit quæ tenebatur ſcire, quo legitimam ſententiam pronuntiaret. Cæterum in uſu vitæ ſolito comparandæ rerum cognitionis poſſibilitas ſtudiumque non ſtricto Jure cenſentur, ſed id ſpectatur quod fieri moraliter poteſt nequitve, & æqua venia indulgetur præſenti hominum conditioni.

De iis quæ ex errore vel per ignorantia fiunt.

Ubi de Legibus & officiis agitur, ignorantia vel error habentur *voluntaria*, nec impediunt quominus imputentur actiones per ignorantiam vel errorem factæ vel omiſſæ, atque id ex principiis ſuperius poſitis conſequitur (a). Sed ea rei quandoque natura eſt, ut in ſe ſit intricatiſſima; tum ejus, qui rem fecit omiſitve, ita circumſcriptum, & incul-

(a) Vid. *ſup. Part. I. Cap. I.* §. 12.

incultum ingenium eſt, inſtitutionis nimirum copia deficiente, ut quoniam fuit error inſuperabilis, ideo venia dignus ſit. Igitur in Legiſlatoris prudentia poſitum eſt, ut expenſis quibuſvis adjunctis, imputationem pro æquitate temperet.

§. V.

De iis quæ ex indole, moribus & cupiditatibus proveniunt.

8. Sua cujuſque natura, inveterati mores, affectuſque magna profecto vi homines concutiunt impelluntque, ſed neque tamen ea vis eſt, quæ homini Rationis uſum libertatemque auferat, vel ſaltem non poteſt quis invitus cogi ad prava conſilia exequenda ex pravis affectibus orta. Homini ſua ſemper Ratio & libertas ſalvæ ſunt, atque de hoc inter omnes Jureconſultos merito convenit (a). Ingeniti affectus, initi mores, acreſque cupiditates ineluctabili vi non impellunt ad Naturales Leges violandas, nec inſanabiles ſunt hi animi morbi, ſed adhibita opera & diligentia ſanantur, ut de Socrate teſtatur Cicero. (b)

Nec venia digni ſunt qui pravos affectus potius quam emendarent diuturna conſuetudine corroborarunt. Maxima quidem vis eſt conſuetudinis quæ nos ad quaſdam res faciendas quadam neceſſitate videtur impellere. Sed ipſa teſte experientia, ubi voluntas adeſt, poſſunt exui pravi mores. Ac etiamſi concedamus plus valere conſuetudinis

(a) Vid. *ſup. Part. I. Cap. II.* §. 16.
(b) *Tuſcul. Quæſt. Lib. IV. Cap.* 37.

nis quam Rationis imperium, nulla tamen ex parte pravarum actionum minuitur fœditas, ſed earum legitima eſt imputatio, quia ſemper in cujuſvis poteſtate fuit, ne pravis moribus aſſueſceret. Igitur quanto quis laudabilior eſt, quia ſe conſtantem præbet in bonis actionibus uſurpandis, tanto majori odio contemptuque digna eſt malarum artium conſuetudo. Uno verbo, ſi foret illa propenſionum, cupiditatum & initorum morum poteſtas, ut per eo Legum effectus impediretur, jam nulla daretur humanarum actionum regula. Leges enim ideo in univerſum conſtitutæ ſunt ut emendentur pravi affectus & mali mores, eorumque arceantur exitioſi effectus, & ut vel radicitus evellantur cupiditates, vel ſaltem intra innocuos limites contineantur.

§. VI.

De actionibus ad quas vi compellimur.

9. Quas huc uſque diverſas quæſtiones agitavimus nihil præferunt ſolutu difficile. Sed aliquot aliæ ſuperſunt paulo intricatiores quas apertius decet enucleare.

Ac primo quæritur quales habendæ ſint actiones illæ ad quas vi compellimur; harumne actionum ea natura eſt, ut imputari queant, & revera imputandæ ſint?

Reſpondeo 1. Ex phyſica vi, cui non poſſit obſiſti, gigni actionem involuntariam, quæ tantum abeſt ut debeat jam nunc imputari, ut ſuapte natura imputationem

non

(a) Vid. ſup. §. 1.

non accipiat (a). Etenim in noſtra quæſtione, qui vim alteri adhibuit, actionis editæ ſola & vera cauſa eſt, cui proinde ſoli eſt imputanda: qui enim actionem fecit, quoniam ratione mere paſſiva ſe habuit, ei non magis poteſt actio imputari quam vel gladio, vel fuſtis, vel alii cuivis inſtrumento, quo quis ad quemquam percutiendum uteretur.

2. At ſi quis actionem fecit ad illam ideo coactus, quia grave malum aliquod extimuit, quod ei præpotens quiſpiam minitabatur, malum hoc confeſtim irrogaturus, dicendum eſt ex metu editam actionem *voluntariam* quidem eſſe; unde ſi res in univerſum ſpectetur, poteſt hæc actio imputari. (b)

(b) Vid. ſup. Part. I. Cap. II. §. 12.

Verum quo dignoſcatur an actio revera imputanda ſit, expendendum eſt, utrum is, qui vi cogitur, ſtricta obligatione teneatur actionem facere vel omittere, ita ut imperium detrectans ei malo ſe objiciat quod minitatus eſt is a quo præſcripta vel prohibita actio eſt. Quod ſi ita ſe habeat, & ſtricto jure aliquis obligatus contra officium ſuum peccet, is nequicquam adhibitam ſibi vim prætenderet, ne ſibi actio facta vel omiſſa imputaretur. Hoc enim in univerſum ſtatui debet, legitimo Principi procul dubio partum jus eſſe, ut qui ſibi ſubditi ſunt, eos ad exequenda ſua mandata ineluctabili neceſſitate cogere poſſit, etiamſi ſubditi ex obſequio ſuo in aliquod malum, atque in ipſum vitæ diſcrimen incurrant.

§. VII.

§. VII.

Actiones per vim extortæ in ſe ipſis vel bonæ ſunt, vel malæ vel indifferentes.

Quibus imputandarum actionum ita poſitis principiis, diſtinguendæ ſunt actiones *indifferentes* ab iis quæ ſunt *moraliter neceſſariæ*. Actio ſuapte natura indifferens, ad quam quis per vim adactus eſt, coacto nequit imputari: coactus enim quoniam nulla *obligatione* tenebatur, ideo vim adhibenti nullum jus erat a coacto quidquam exigendi. Profecto quæ vim omnem Naturalis Lex prohibet, eamdem vim non poteſt comprobare, hominem adigendo ad eam rem exequendam, cui non aliter aſſenſus eſt quam invitus coactuſque. Unde coactum quodvis promiſſum, vel coacta quævis conventio nec *promiſſi* nec *conventionis* jure obligationem ullam inducit, ſed poteſt utrumque ei tanquam ſcelus imputari a quo illata vis eſt. Verum, ſi qui vim adhibet, jure ſuo utatur, poſtuletque juſtæ ſuæ petitioni ſatisfieri, tunc valet actio quantumvis coacta, debetque ſuos omnes morales effectus ſortiri. Itaque fugitivus debitor vel malæ fidei, ſuo creditori ſatisfaciens ob proximum incarcerationis metum, vel ne ſua bona apprehendantur, factam ſolutionem non ideo poteſt repetere, quia coactus ſolvit. Nam ſiquidem diſſolvendorum nominum obligatione conſtringebatur, ultro volenſque, non autem coactus, debebat ſatisfacere.

Quantum ad *bonas* actiones attinet, ad

quas quis per vim, ac ut ita dicam, pœnarum verberumque metu adactus eſt, earum nulla fit imputatio, quoniam nec laude nec mercede dignæ ſunt, cujus in promptu ratio eſt: Legibus nempe animo volente ſinceroque tenemur obſequi, noſtraque nobis officia ideo ſervanda, quia ipſi nobis quam juſta ſint conſcii ſumus.

Quod ad actiones ſpectat manifeſto *malas ſceleſtaſque* ad quas quis cogitur graviſſimi cujuſdam mali, & mortis præſertim timore, ea ſtatuenda generalis Regula eſt; Metus cauſas tam graves quandoque eſſe, ut aliquatenus ejus ſcelus minuatur, qui quamquam invitus & renuente conſcientia pravum tamen facinus admiſit: ſed nihilominus actio ſemper remanet in ſe vitioſa, & vituperio digna, ita ut poſſit imputari & revera imputetur, niſi qui illam fecit neceſſitatis exceptionem prætendat.

§. VIII.

Cur actio poſſit imputari quamvis coacta.

Quæ ultima Regula ex principiis deducitur quæ ſtatuimus. Nam qui metu quidem graviſſimi cujuſdam mali, nulla tamen phyſica vi compulſus, actionem exequitur manifeſto malam, ejus actionis pro ſua parte conſcius eſt quam volens aggreditur, licet animo reluctante. Neque vero ſupra vires humanas poſitum hoc eſt, ut quis conſilium ineat dolorem, imo mortem ipſam oppetendi, potius quam officium violet. Namque homines non ita pauci viden-

tur,

tur, qui ob leves etiam cauſas, ſed quibus acriter percelluntur, dolori ſe ipſique morti objiciunt, quod quamvis in ſe difficile, impoſſibile tamen non eſt. Legislatorem igitur penes eſt ob legitimas cauſas omnimodam obſequendi obligationem imponere, & ſocietatis ſæpiſſime refert ut invictæ conſtantiæ tradantur exempla. Apud moratas gentes in quibus nonnulla fuerunt probitatis ſemina, nunquam addubitatum eſt quin hoc graviſſimum ſcelus eſſet, ſi quis, ne moreretur, patriam ſuam proderet: ſed contra Patriæ ſaluti vitam impendendam eſſe Græcorum Romanorumque fuit ſemper ſtabile judicium. Atque inter Ethnicos moralis diſciplinæ magiſtros extiterunt permulti, qui eam ſententiam acriter propugnarent, non eſſe quidquam adverſus religionem juſtitiamve doloris ſuppliciique metu faciendum,

Ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei: Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas. (1)

Sic ſe habet Regula. Contingere tamen poteſt, ut jam indigitavimus, legitimam ex neceſſitate exceptionem gigni, ita ut actio non imputetur. Quod ut bene intelligatur, ineunda eſſet fuſior diſputatio, ſed de hoc alias; impræſentiarum ſatis eſto hic

(1) *Juv. ſat. VIII. verſ.* 80.

adnotaſſe, ea rerum quandoque adjuncta eſſe, ut merito conjiciatur hanc fuiſſe Legiſlatoris voluntatem, ne malum imminens pateremur, cujus quoniam nos voluit immunes fieri, nos ideo quoque vult ſervandæ Legis neceſſitate ſolutos eſſe: atque id locum habet quoties quas partes amplectimur minus includunt malum quam quod aliunde imminebat.

§. IX.

Puffendorfii ſententia.

Cæterum quæ Puffendorfius de hoc argumento principia conſtituit, neque recta in ſe ipſis videntur, nec ſatis mutuo cohærentia. Ille Regulam hanc ſtatuit, nullam in eum imputationem cadere, qui *metu* coactus ſit, vel præſenti & phyſica *vi* compulſus, quoniam metu actio extorta auctori non magis poteſt imputari, quam gladio quo quis ad cædem utitur. Quam tamen ſuam Regulam ita Puffendorfius interpretatur, ut ſceleſtiſſimis facinoribus patrocinari nolit, mortemque dicat potius obeundam, quam alium in atrocibus flagitiis adjuvare, atque ejuſmodi cauſas excipi vult e Regula quam ſtatuit (a). Sed merito adnotatum eſt iis quæ per metum aut vim facta ſunt nimiam a Puffendorfio indultam veniam eſſe, nec quidquam argui per ſecuris

(a) Vid. *Puffend. de Offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. I.* §. 24. Et *de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. Cap. V.* §. 9. *cum notis Barbeyrac.*

ris & enſis exempla, ſunt enim hæc mere paſſiva inſtrumenta.

Præterea ſi verum ſit imputandarum actionum generale principium, haud ſatis apparet cur excipi quædam cauſæ debeant; aut ſaltem conſtituenda fuiſſet quædam Regula, cujus ope citra errorem ſecernerentur cauſæ illæ quæ dignæ ſunt exceptione.

§. X.

10. Plerumque igitur ei actio imputatur qui præ metu illam admiſit, ſed & illi a quo metus injectus eſt etiam merito imputatur, & quidem pro ea parte juxta quam fuit actionis particeps.

De actionibus quarum ſunt plures correi.

Itaque nonnullas hoc loco quæſtiones evolvemus de iis actionibus quarum ſunt plures correi, & ea quoque principia ſtatuemus quorum ope dijudicetur ratio qua alteri poteſt alterius actio imputari. Quod argumentum cum ſit graviſſimum, ejuſque late pateat uſus, non obiter expendendum eſt.

1. Atque ut id dicatur quod verum eſt; nemini poſſunt imputari niſi quæ ipſe vel fecit vel omiſit: namque alienæ actiones nobis imputari nequeunt; niſi quatenus illarum fuimus participes, eaſque tenebamur vel promovere, vel arcere, vel certa ratione dirigere; ac ſane id per ſe liquet. Qui enim alienam actionem alteri imputat, is aſſerit actionis *cauſam efficientem* illum

eſſe cui imputatur, quamvis non ſit *cauſa unica*; unde conſequens eſt ut actio qualicumque modo, vel in ſua cauſa, vel in exequendo, ab illius voluntate penderet, in quem cadit imputatio.

2. Quibus ita poſitis, dicendum eſt incumbere ſingulis hominibus univerſalem obligationem pro viribus enitendi, ut cæteri omnes officia ſua exequantur, & nefariis actionibus abſtineant, ac proinde nemini licere quacumque de cauſa vel proxima vel remota alienorum peccatorum conſortem eſſe.

3. Sed multo potiori jure actiones nobis imputantur eorum quos ſingulari cura regendos ſuſcepimus. Qui enim tuæ curæ commiſſus eſt non ſolum ſibi, ſed & tibi peccat; nam ejus facta vel bona vel mala tibi imputabuntur, inquireturque an pro mandato imperioque tibi credito omnes rationes adhibueris moraliter neceſſarias. Quapropter Patrifamilias v. g. liberorum ſuorum imputantur boni vel pravi mores.

4. Adnotandum deinceps eſt alienæ actionis merito conſortem haberi non ſolum illum, qui ipſe rebus quibuſdam factis omiſſiſve certo ſciebat quod alienam actionem poſſet vel promovere vel impedire; ſed ſatis eſt ſi quis probabiliter aut veroſimiliter actionem alienam promoviſſe vel impediiſſe potuit. Quemadmodum igitur ejus negligentia non excuſaretur, qui ſe diceret rem certo neſciſſe; ita etiam ſi illud præſtiterit quidquid tenebatur præſtare, ſane non vitupe-

ſuperabitur, quia res non bene ceſſerit, ſed vituperium omne in proximum actionis auctorem recidet.

5. Denique abs re non erit illud quoque adnotare, nos in propoſita quæſtione non expendere quis in ipſa actione probitatis, & nequitiæ gradus inſit, unde actio melior vel pejor eſt, ejuſque augetur laus aut vituperium, merces aut pœna: ſed hoc proprie indagamus, quouſque ſcilicet alienæ actioni ſe quis immiſcuerit; primum ut dignoſcatur an qui alienæ actionis particeps eſt habendus ſit tanquam ejúſdem actionus *cauſa moralis*, tum deinde ut ipſius moralis cauſæ æſtimetur major minorve efficacia. Quod operæ pretium eſt attendiſſe.

§. XI.

Triplex Moralium Cauſarum genus; alia eſt cauſa *præcipua* alia *ſubjecta* alia *collateralis*.

Quo igitur ſtatuatur aliqua tanquam menſura juxta quam fiat imputatio, pro quo gradu alienarum actionum qui particeps fuerit, multa quidem attendenda, multa diſtinguenda ſunt: alioquin iniquiſſimum de humanis actionibus judicium iniretur. In univerſum, exempli cauſa, certiſſimum eſt minus efficaciter impelli nos ad agendum, ſi quis nobis ſimpliciter ſuffragetur, quam ſi validam ſuaſionem acremque inſtigationem adhibuerit. Nihilominus ſi quem ſummopere ſuſpiciamus, cujus ideo magna ſit in nos auctoritas, ejus ſimplici comprobatione

multo afficimur validius, quam alterius cujuslibet vehementiſſimo ſuaſu, vel acerrima inſtigatione.

Ad triplex genus revocari poſſunt cauſæ morales quarum eſt aliquis in alienas actiones influxus. Aliquando enim moralis cauſa vel eſt *præcipua*; ita ut qui rem exequitur ſit *cauſa ſubjecta*; vel contra proximus actionis auctor eſt *cauſa præcipua*, alter vero *cauſa ſubjecta*; vel alias denique in propoſitam actionem æqualiter influunt *cauſæ collaterales*.

§. XII.

DE eo cenſetur quod ſit PRÆCIPUA CAUSA, *qui, rebus quibuſdam factis omiſſisve, ita influit in alienam actionem, ut propter illum actio facta ſit vel omiſſa, quamquam aliunde proximus actionis auctor faciendæ rei haud ignarus ſe immiſcuerit*. Centurio, v. g. facinus evidenter ſceleſtum exequitur, ita diſerte jubentibus vel exercitus Duce vel ipſo Rege: exercitus Dux vel Rex habendi ſunt cauſa præcipua, Centurio autem cauſa ſubjecta. Interfecti URIÆ præcipua cauſa fuit David, quamquam hujus necis conſors fuit etiam JOAB, cui apprime notum erat Regis conſilium. Sic etiam enecati NABOTH cauſa præcipua fuit (a) JESABEL.

(a) Vid. 2. *Sam. Cap. XI. Et* 1. *Reg Cap. XXI.*

Neceſſarium eſſe dixi ut proximus actionis auctor ei ſe ſcienter immiſcuiſſet. Qui enim actionem edidit, nec ſcivit an eſſet

bona

bona vel mala, is habendus eſt ut ſimplex inſtrumentum, & ei ſoli imputanda eſt actio, qui illam præcepit, quoniam ejus eſt mera & unica cauſa. Quapropter ut mera inſtrumenta plerumque habendi ſunt ſubditi, qui ita Principe ſuo jubente bellum iniquum gerunt.

Cæterum eorum quæ a ſubditis fiunt ideo Princeps cenſetur eſſe præcipua cauſa, quia ſubditi nonniſi jubente Principe, actionem exequuti ſunt. Atque idcirco quiſquis ille ſit, cujus ita prævalebit opinio, ut vel æquales ſibi, vel etiam ſuperiores ad agendum impellat, ei vel æqualium vel ſuperiorum actiones imputabuntur. Cujuſmodi imputatio in eos homines recte cadit, qui Principibus a Conſiliis ſunt, vel etiam in illos ſacrarum rerum Miniſtros, quorum cum magna ſit apud Principes gratia, id faciendum ſuadent Principibus, quod nunquam Principes ultro fuiſſent ſuſcepturi. Quibus in cauſis in eum præcipue cadit laus aut vituperium, qui ſuggeſtus conſiliive auctor eſt. Atque hic juvat referre ſanam profecto ſani Scriptoris de hac re ſententiam. „ Apud Anglos, inquit, ſatis rece„ ptum eſt, ut quidquid Principes peccant, „ id eorum Miniſtris imputetur, quos ego „ quidem non inficias ibo plerumque im„ putationi anſam præbere. Verumtamen er„ rata Principum per Miniſtrorum ſcele„ ra non excuſantur: nam, quidquid illud „ ſit, ſua eſt Principibus Ratio, ſuum „ judicium; & penes ipſos ſumma eſt

„ au-

„ auctoritas. Multa ſunt in quibus Princi-
„ pes oporteat ſuum judicium adhibere,
„ nec ex fide pendere introrſum turpis a-
„ varique aulici. Sin minus poſſunt pro-
„ pter obtuſam mentis ſuæ aciem res ipſi
„ dijudicare, cæteris imperium tradant, cu-
„ jus nequeunt habenas temperare. Atque
„ haud ſcio an de Principibus Rempubli-
„ cam male gerentibus non idem dicendum
„ merito ſit quod CAROLUS BORROMÆUS
„ ſolitus erat uſurpare de Epiſcopis ſuas
„ oves male paſcentibus: *Si demandatæ ſibi*
„ *provinciæ impares ſunt, undenam illis tam*
„ *elata ambitio? Si pares ſunt, undenam tam*
„ *ſupina negligentia?* (a)

§. XIII.

Is eſſe dicitur COLLATERALIS CAUSA, *qui, rebus quibuſdam factis omiſſiſve, ſufficienter & quantum in ſe eſt, alienam actionem adjuvat, ita ut alienæ actionis conſors eſſe cenſeatur, quamvis non omnino conſtet omittendam actionem fuiſſe, niſi adfuiſſet collateralis cauſa.* Igitur collateralibus cauſis annumerantur ii, qui qualicumque ratione proximum actionis auctorem adjuvant, eumve ſua domo excipiunt ſuoque patrocinio fovent. Sic, v. g. collateralis cauſa eſſe dicitur ille, qui, quo furtum tutius fiat, aditus cuſtodit, altero fores effringente &c. Eorum plerumque culpa æqualis eſt, quibus eadem inita con-

(a) *Bernard. Nunt. Reip. Litt. Menſe Aug.* 1702. *pag.* 24.

conſilia ſunt, ſingulique habentur *æquales* & *collaterales* cauſæ, utpote qui de admittendo eodem facinore conſpirârint, quibus eadem ſit voluntas, & quorum idem interſit. Quamquam vero admiſſi facinoris quiſque non ſit æqualiter particeps, recte tamen aliorum actio poteſt aliis imputari.

§. XIV.

Denique cauſa ſubjecta eſt, *quæ parum in alienam actionem influit, eive leviſſimam anſam præbet, actionemve reddit faciliorem, ita ut actionis auctor, cujus jam erat deliberata mens, & cui omnia ſuppetebant ad agendum neceſſaria, tantummodo ad exequendum ſuum conſilium impellatur*; ut ſi cui faciendæ actionis ratio tempuſque, & poſt admiſſam actionem aufugiendi modus oſtendatur, &c. vel ſi ejus laudetur propoſitum, & ad id perficiendum ſtimuletur.

In numero cauſarum ſubjectarum nonne etiam recenſenda eſt Judicis actio, qui præ timore, vel propter obſequium, aliorum ſententiam, quam putat iniquam eſſe, ideo non impugnat, quia cæteri ſunt unanimes. Subjectis quoque cauſis annumeranda ſunt prava exempla. Non enim ſolent prava exempla niſi illos afficere qui ad malum proclives ſunt, ita ut improbos minus æmulentur quam propriæ ſuæ naturæ indulgeant. Quamquam exemplorum vis adeo interdum eſt efficax, tum ob peccantium dignitatem, tum ob indolem cæteros imitan-

tantium, ut ſi alii abſtinuiſſent malo, nunquam alii de illo admittendo cogitaſſent. Qualia ſunt virorum principum exempla, atque illorum quibus ob ſuam animi perſpicientiam clarumque nomen multa eſt in cæteros auctoritas: iis enim ſingulariter imputandum eſt quidquid eorum exemplo peccatur. Plures aliæ cauſæ ſunt de quibus ſtatuendum eſt idem judicium. Sed prout rerum adjuncta variantur, eædem res plus minuſve in alienas actiones influunt, unde qui rebus quibuſdam factis omiſſiſve alios ad agendum quid vel omittendum ſtimulant, habendi ſunt, modo ut actionum factarum omiſſarumve cauſæ præcipuæ, modo ut cauſæ ſubjectæ, modo ut cauſæ collaterales.

§. XV.

Uſus harum diſtinctionum.

NOSTRARUM diſtinctionum ſua ſponte ſe prodit uſus. Cætera ſi ſint paria, *Collateralium Cauſarum* æqualis habenda ratio eſt. Sed *Præcipuis Cauſis* major ſine dubio tribuenda laus eſt, aut majus vituperium impendendum quam *Cauſis ſubjectis*, majorque merces vel pœna irroganda. Dixi, *cætera ſi ſint paria*: aliquando enim propter adjunctorum varietatem ſic augetur minuiturve actionis laus vel improbitas, ut in cauſa ſubjecta multo major nequitia quam in præcipua cauſa deprehendatur, atque ſic gravior fiat in cauſam ſubjectam imputatio. Fingantur, exempli gratia, duo homines, quorum alter ob illatam ſibi ab inimico ſuo

gra-

graviſſimam quamdam injuriam, alterum in ſui defenſionem ultionemque inſtigat. Inſtigator quidem ira præfervidus eſt; inſtigatus autem, quamquam animo ſedato ſit, inſtigatoris inimicum ex inſidiis enecat. Inſtigator certe prima cædis cauſa eſt, cujus tamen ob primum iræ recentis impetum minus atrox facinus habebitur, quam illius, qui cum nullis iracundiæ ſtimulis incitaretur, alterius tamen ſanguine ſe reſperſit.

Ad calcem hujus capitis ſequentes adnotationes juvat adtexere. Ac primo quidem triplex moralium cauſarum ordo ex ſe verus eſt, ſed illa trium cauſarum diſtinctio non ita uſurpatu facilis eſt. Deinde quoties de cauſa actionis ambigitur, is *præcipua cauſa* cenſeatur, qui proximus actionis auctor eſt: qui vero ſunt actionis participes, vel tanquam *cauſæ ſubjectæ* habeantur, vel ad ſummum ut *Cauſæ collaterales*. Advertendum tandem eſt *Moralium Cauſarum* diſcrimen recte quidem a PUFFENDORFIO conſtitutum eſſe, cujus nos veſtigiis inhæremus: ſed ille harum cauſarum diſcrimina quoniam non ſatis accurate definivit, hinc eſt, ut ſi quando rerum exempla proferat, non ſemel in cauſarum diſtinctione hallucinetur, atque illud ad hanc cauſam referat, quod erat ad aliam referendum. Quæ PUFFENDORFII hallucinatio BARBEYRACIUM non latuit naris emunctæ hominem, cujus nos adnotationes in noſtram utilitatem convertimus. (a)

(a) Vid. *Notas Barbeyr. in Offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. I. §. 27.*

CA-

CAPUT XII.

De AUCTORITATE *&* SANCTIONE *Naturalium Legum* (a); *ac primo de* BONIS *&* MALIS *quæ natura ſolent* VIRTUTEM *&* VITIUM *ſubſequi.*

§. I.

Quid ſit Naturalium Legum auctoritas.

HOc loco per NATURALIUM LEGUM AUCTORITATEM intelligimus *vim illam Legibus inhærentem, tum quia eis aſſentitur Ratio, tum potiſſimum quia ſcimus Deum illarum auctorem eſſe*, unde ſtrictiſſima obligatione tenemur Legibus illis noſtram agendi rationem accommodare, ob ſummum in nos Dei Conditoris imperium.

Huc uſque Naturalium Legum originem, indolem, & earum certiſſimam veritatem expoſuimus, id quod ſatis eſſe videtur ad earumdem Legum conſtituendam auctoritatem. Nihilominus supereſt aliquid quod de Legum auctoritate ulterius diſputetur. Legum proprie dictarum vis in earum *ſanctione* imprimis poſita eſt (b). Sanctio enim Legibus, ut ita dicam, auctoritatis ſigillum imprimit. Itaque magni refert, imo & neceſſe eſt inquirere, an revera exiſtat *Legum Naturalium ſanctio*, id eſt,

(a) Vid. *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. II.* §. 21.
(b) Vid. *Part. I. Cap. X.* §. 21.

eſt, ac Naturalibus Legibus adjunctæ ſint comminationes & promiſſa, pœnæ vel præmia?

§. II.

In qua diſquiſitione primum illud occurrit, eas nempe vivendi Regulas, quæ Naturalium Legum nomine veniunt, ita eſſe hominum naturæ, indoli, & primigeniæ conditioni accommodatas, necnon cum noſtris neceſſitatibus, atque deſideriis menti noſtræ ingenitis, & cum illo ſtatu juxta quem in his terris vivitur ita conſentientes, ut illas prorſus liqueat propter homines hominumque utilitatem conſtituta fuiſſe. In univerſum enim, omnibuſque accurate perpenſis, non alia ratio eſt publicam privatamque felicitatem efficiendi certam ſtabilemque, quam ſi Leges Naturales ſerventur, quas ſi violaverint homines, hinc oritur rerum interturbatio ſingulis hominibus totique humanæ ſocietati itidem damnoſa. Atque hæc haberi poteſt Naturalium Legum tanquam prima ſanctio.

Ex Naturalium Legum cultu publica & privata felicitas oritur.

§. III.

Quæ noſtra quæſtio, ut qualis ſit appareat, ejuſque veritas arguatur, advertendum eſt 1. Ex ſolo quidem Naturalium Legum cultu derivari poſſe publicam privatamque felicitatem, ſed eam felicitatem non intelligimus quæ ſit ex omni parte perfecta, quam-

Elucidatur noſtra quæſtio

quamque nihil poſſit labefactare, qualis profecto hominibus ſperanda non eſt: at vero ſi ex honeſtatis cultu gigni nequit integra felicitas, quanto minus ex vitii fœditate parietur.

2. Quoniam autem Regula inquiritur quam homo ſequatur, propoſitæ quæſtionis cardo in hoc unice vertitur: An ſcilicet in univerſum, & omnibus expenſis, Naturalium Legum cultus aptior tutiorque ratio ſit, per quam homines ad deſtinatum ſibi finem perveniant, atque felicitatem veram, integram & ſtabilem aſſequantur, quanta poteſt in his terris comparari: cujuſmodi felicitas non ad aliquot tantum homines, ſed ad univerſos ſpectet, nec in peculiaribus quibuſdam cauſis locum habeat, ſed in toto vitæ decurſu.

Quæ noſtra quæſtio ſi ſic intelligatur, nullo labore manifeſtum evadet, tum id evincente Ratione, tum ipſa teſtante experientia, ex honeſtatis cultu gigni revera quam dicimus felicitatem; ex vitio autem & inordinatis cupiditatibus malorum illuviem procreari.

§. IV.

Propoſite ſuperius quæſtionis veritas ratiocinatione arguitur.

NATURAM varioſque ſtatus hominis ſuperius expendentes oſtendimus, qualicumque modo natura humana ſpectetur, non aliter poſſe homines deſtinata ſibi ſorte defungi, nec inditas ſibi facultates excolere,

nec

nec veram felicitatem comparare, quæ cum aliorum hominum felicitate non pugnet, niſi ducem ſequantur Rationem. Informanda igitur, & illuſtranda primum eſt Ratio, ejuſque petenda, & ſequenda conſilia ſunt. Sic enim edocebuntur homines alias ſibi res utiles eſſe, alias autem noxias; inter illas autem quæ utiles ſunt, non æqualiter omnes, nec ſimili ratione expedire, unde a malis diligenter ſecernenda bona ſunt, ut certo dijudicatis rebus, qualis decet agendi modus ineatur. Edocebuntur etiam homines non poſſe veram felicitatem conſiſtere cum iis rebus quæ cum hominis natura ſtatuque repugnant; ac tandem intelligent, quoniam opus eſt non ſolum præterita & præſentia attendere, ſed & futura proſpicere, haud ſatis hominibus eſſe, ſi malum bonumve unice ſpectent, quod in quavis præſenti actione ineſt, ſed præterita & præſentia ita ſimul cum futuris conſideranda eſſe, ut illud dignoſcatur quod ex his tribus conjunctis per totum vitæ noſtræ decurſum ſubſequi debet. Quæ hic diſputamus ſingula perſpicue vera ſunt. Porro Naturales Leges ex primigeniis veritatibus illis conſequuntur, unde ex ſe ipſis in hominum felicitatem neceſſario influunt. Nec poteſt illud in dubium revocari, ſiquidem, ut continua hujus libri ſerie fuit demonſtratum, non alia ſupereſt ratio Naturalium Legum principia comperiendi, quam ſi primum hominis natura ſtatuſque indagentur, tum illud

deinde acquiratur, quod ad ejus perfectionem; & felicitatem potiſſimum, & neceſſario confert.

§. V.

Argumenta proponũtur ex ipſo facto deducta. 1. Interioris gaudii fons eſt honeſtas, vitium contra perturbationis & anxietatis principium eſt.

SED quod jam ita verum perſpicuumque per ratiocinationem apparet, ſic per experientiam in apertiſſima luce conſtituitur, ut de hoc nemo poſſit inficias ire. Enimvero in univerſum videre eſt ex honeſtatis, ſive Naturalium Legum cultu interiorem lætitiam generari, eoſque probitatis effectus eſſe, ut non ſolum cuivis privato, ſed toti etiam humanæ ſocietati innumeras utilitates adferat: vitii contra longe alii ſunt exitus.

Quidquid rectæ Rationi, & conſcientiæ adverſatur, non ſolum tacito improbatur mentis judicio, ſed nos etiam pudore ſuffundit, creatque animi ſollicitudinem. Hominum enim animis ſuapte natura crimen averſatur; ſceleriſque ſemper eſt triſtis, & amara recordatio. Contra quæcumque cum recta Ratione conſentiunt, in iis ordo & perfectio inſunt, quibus mens ſuffragatur; atque ita conſtituti ſumus ut ex honeſtate ſemper interius gaudium generetur, & recte factorum memoriam recolamus lubentes. Quæ enim ſuavior poteſt eſſe lætitia quam ſi nobis ipſis conſcii ſimus, eos nos eſſe qui eſſe debemus, idque quod agimus & decens eſſe, & cum officio noſtro congruens, nec alienum ab eo fine ad quem geniti ſumus.

Quid-

Quidquid cum natura conſentit id ſemper arridet; eaque ſemper juvant in quibus ineſt ordo.

§. VI.

Sed præterquamquod juxta naturam eſt, ut ex Naturalium Legum cultu generetur interius illud quod dicimus gaudium, videre etiam eſt exinde omnimodas derivari utilitates. Hinc enim vegetus firmatur valetudinis ſtatus, fitque vita longior; hinc exacuuntur perficiunturque noſtræ mentis facultates; hinc ad laborem atque ad omnia domeſticæ, & civilis vitæ munia obeunda reddimur idonei; hinc probus diuturnuſque noſtrorum omnium commodorum uſus; hinc arcentur permulta mala, vel ſaltem plurimum allevantur, quæ omnino arceri nequeunt; hinc aliorum hominum paritur nobis exiſtimatio, benevolentia, fides: ex quibus omnibus haud exigua manat vitæ jucunditas, & magna exiſtunt noſtrarum ſuſceptionum adjumenta.

2. Quæ exteriora bona vel mala virtutem ſequuntur aut vitium?

Inveſtigemus porro undenam ſuum ortum habeant communis omnium ſecuritas, tutus familiarum ſtatus, Rerumpublicarum felicitas, & ſua cujuſque privati quammaxima commoda: nonne parta ſunt hæc omnia ex intaminato Dei cultu, ex temperantia, ex pudore, ex fide, juſtitiaque? Nonne contra ex earumdem virtutum contemptu profluunt pleraque mala univerſam hominum ſocietatem

interturbantia, eorumque adverſantia felicitati?

Nec tantum conſcientiæ morſus animique anxietas ex contaminatis moribus gignuntur, ſed etiam ex vitio pariter innumerabilium malorum exteriorum cohors. Hinc corporis mentiſque imbecillitas, hinc perniciosiſſimi morbi, hinc plerumque horrida turpiſque egeſtas; hinc error & ignorantia, hinc graviſſimorum periculorum parens inconſulta ira, hinc domeſtica diſſidia, ſimultates, perpetuæ formidines, probrum, coercitiones pœnæque, contemptus, odium, obſtantiaque mille impedimenta, ſi quam utilitatem ſibi velint improbi comparare. Unde a SENECA recte dictum eſt: *Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit*. Epiſt. 82.

§. VII.

Quorum præcipua poteſtas & auctoritas eſt, in iis virtus vitiumque longe graviores exitus habent.

II ſunt naturales vitii virtutiſque exitus, ſi ad hominum vulgus ſpectes: at ſi illorum ratio habeatur, quorum is gradus, ea eſt auctoritas, ut ab ipſis alicujus univerſæ ſocietatis ſtatus & fortuna ſingulariter pendeat, in iis profecto probitatis aut nequitiæ vis longe gravior eſt quam in cæteris hominibus, & multo magis conſpicua. Quid enim non extimeſcendum Populis, ſi ſe Principes eſſe exleges arbitrentur, & cujuſvis immunes officii, atque nihil aliud reputantes quam ſe ipſos, libidini, injuſtitiæ, ambitioni, avaritiæ & immanitati ſeſe tradant? Quæ contra quantæque utilitates

ex adminiſtratione conſequuntur probi ſapientiſque Principis, qui quoniam ſibi majorem exiſtimat quam cæteris obligationem incumbere, ne unquam a pietatis, juſtitiæ, temperantiæ & beneficientiæ præſcriptis declinet, non aliter ſibi credito imperio utitur, quam ut intus diſciplinam & ſecuritatem tueatur, & in eo judicat poſitum eſſe ſummum ſuum decus, ſi recte ſubditis præſit, id eſt, probos illos efficiat feliceſque. Teſtem Hiſtoriam, teſtem experientiam interroga, & ex utraque liquebit, quæ nos hic ſtatuimus ita vera eſſe, ut ea nemo ſanus poſſit impugnare.

§. VIII.

Superior quæſtio omnium gentium conſenſu comprobatur.

De hoc autem ſic in univerſum inter homines convenit, ut omnia hominum in communem ſuam utilitatem inſtituta in Naturalium Legum cultu fundentur. Quinimo, ſecluſa Naturalium Legum auctoritate, ſupervacaneæ forent omnes cautiones in humanis inſtitutis adhiberi ſolitæ. Atque ex hoc Naturalium Legum cultu, & auctoritate manifeſto pendent omnes in univerſum humanæ Leges, omnis publica adminiſtratio, omnis inſtituendorum liberorum, artium excolendarum & promovendæ mercaturæ ratio, ac demum omnia pacta tum publica tum privata. Quorſum enim hæc omnia, quæve ex illis utilitas exiſtet, niſi juſtitia innitantur, honeſtate, fide & juriſjurandi Religione?

§. IX.

Eiuſdem quæſtionis arguitur veritas; quia contrarium eſt abſurdum.

Atque hæc noſtra ratiocinatio quo melius intelligatur, Diſciplinam Moralem, ſi libet, ſtatuamus, qualis adverſa fronte pugnet cum noſtris principiis jam antea poſitis. Fingamus, v. g. ignorantiam & præjudicatas opiniones rectæ Rationis locum occupare; animi vero levitate & libidinibus vices ſuppleri prudentiæ virtutiſque; procul ab hominum commercio, & ſocietate amandentur juſtitia & benevolentia, quarum loco ſupponatur ſui ipſius iniquus amor, ad ſe trahens omnia, & aliena commoda communemque utilitatem nihili faciens: jam hæc ita poſita principia ſingulis hominum conditionibus accommodentur, videamuſque quid ex eis proxime conſequatur; fingimus enim hominibus hujuſmodi doctrinam probari, & Regulæ vim obtinere. An quiſquam ſanus exiſtimet ex hiſce principiis ſingulorum hominum, familiarum, gentium, ac tandem humani generis derivari poſſe felicitatem? Nemo quidem hactenus ita fuit inſolens, qui tam portentoſum, ut ita dicam, paradoxon propugnaret, adeo in promptu eſt quam abſurdum ſit.

§. X.

Reſponſio ad quaſdam objectiones peculiares.

Neque tamen inficias ibo ex iniquitate & libidinibus qualemcumque interdum volupta-

ptatem aut commodum gigni. Sed præterquamquod eadem voluptas eademque utilitas ſæpius tutiuſque ex virtute pariuntur, Ratione atque experientia edocemur, quæ bona ex iniquitate parta ſunt, non ita vera, non ſic ſtabilia, non ita ſincere jucunda eſſe, quam quæ a virtute promanant. Primum enim bonorum genus in ipſa ſua origine peccaminoſum eſt, nec niſi falſam ſpeciem præfert, quoniam bona hæc prorſus aliena ſunt a natura ratione prædita, necnon ad ſocietatem informata. (*a*) Cujuſmodi bona flores eſſe dixeris, qui radice deſtituti ſtatim ab ortu ſuo exſiccantur, & decidunt.

(a) Vid. *Part. I. Cap. VI.* §. 3.

2. Quod attinet ad mala ærumnaſque humanæ naturæ inhærentes, quibuſque obnoxii ſunt viri probi non ſecus ac improbi; in his etiam malis ærumniſque ſuæ ſunt, & multæ illæ quidem, virtutis utilitates. Primum enim ex ſe ipſa virtus aptiſſima eſt quæ pleraque illa mala vel prævertat vel amoveat; in quos enim ſcopulos inſani ſolent impingere, ab eiſdem declinatis ſibi præcavent ſapientes & recte moderatæ mentis homines. Deinde quæ mala vir ſapiens non poteſt effugere, eadem tamen per adjutricem ſapientiam æquo animo tolerantur, iiſque ſolaminibus ea mala penſantur alleventurque, unde illorum non parum vis imminuitur. Etenim ſua ſemper virtutis eſt indivulſa comes lætitia; & quæ vera eſt noſtra felicitas leviſſimam tantum læſionem patitur ab illis fluxis ac propemodum

exterioribus malis quibus nonnunquam interturbamur.

„ Equidem miror (ajebat Isocrates)
„ hoc ſibi quemquam perſuaſum habere,
„ hominibus conſtanti animo juſtitiam pie-
„ tatemque colentibus pejorem conditionem
„ quam improbis imminere, nec eſſe piis
„ viris, tum a Diis, tum ab ipſis cæteris
„ hominibus longe majora quam impiis bo-
„ na expectanda. Mea vero hæc fides eſt
„ probis hominibus abunde ſuppetere quid-
„ quid expetendum eſt, improbis contra
„ nec etiam innoteſcere ullum verum ſuum
„ commodum. Quicumque injuſtitiam ju-
„ ſtitiæ anteponit, in eoque ſummum bo-
„ num collocat, ſi bonum alienum rapue-
„ rit, is mea quidem ſententia haud abſi-
„ milis eſt piſcibus hamum vorantibus: iis
„ quæ deglutiit jucunde ſtatim titillatur im-
„ probus, ſed non ita multo poſt quam-
„ maximis malis irretitur. Hominibus con-
„ tra pietati & juſtitiæ adhærentibus non
„ ſolum tutum eſt præſens tempus, ſed
„ iis præterea in totam reliquam vitam bo-
„ na ſpes merito concipitur. Illud equidem
„ fateor non ſemper contingere, ſed ipſa
„ teſte experientia certum eſt quod contin-
„ gere ſoleat. In quibus autem rebus cer-
„ te præviderì nequit qualis futurus ſit il-
„ larum exitus, viri ſapientis eſt eas partes
„ amplecti quarum ſolet eſſe major utilitas.
„ Sed nihil magis Rationi adverſatur, quam
„ eorum opinio, qui quamvis exiſtimen-
„ juſtitiam in ſe pulchriorem Diiſque acce

„ ptio

„ ptionem eſſe quam injuſtitiam, nihilominus ſibi fingunt ita comparatas eſſe humanas res, ut ex improbitate plus hauriatur emolumenti quam ex honeſtate. „ *Orat. de Permutatione*.

§. XI.

Semper virtus præſtat, atque hæc prima eſt Naturalium Legum ſanctio.

Igitur omnibus hinc inde collatis, ex honeſtate longe uberiores & præſtantiores quam ex improbitate fructus percipiuntur. Atque illud manifeſto apparet divinæ ſapientiæ fuiſſe propoſitum, ut phyſicum & morale malum natura cohærerent, tanquam effectus cum ſua cauſa connectitur; bonum contra phyſicum ſeu hominis felicitas cum morali bono ſive cum virtutis cultu conſociaretur: ita ut ſi primigenia rerum natura in univerſum ſpectetur, quemadmodum ex bona victus ratione bona fovetur valetudo, ſic etiam ex Naturalium Legum cultu publica privataque felicitas promoveatur. Quoniam autem ab ipſo Deo vitii pœnæ virtutiſque prœmia conſtituta ſunt, haberi quidem illa poſſunt, ut quædam Naturalium Legum Sanctio, ex qua ſanctione Rationis præſcripta non exiguam vim obtinent.

§. XII.

Neque tamen ſufficiens eſt prima

Fatendum attamen eſt primam hanc Naturalium Legum ſanctionem eam non eſſe, ex qua Rationis præſcripta vim illam au-

auctoritatemque mutuentur, quæ verarum Legum propriæ ſunt. Etenim ſi penitus & enucleate introſpiciatur humanarum rerum natura, quæ ita comparatæ ſunt ut homines alii ab aliis tanquam naturali concatenatione mutuo pendeant, videbimus profecto generalem illam quam modo dicebamus Regulam non ita ſtabilem & inconcuſſam eſſe, ut multas non patiatur exceptiones, per quas non parum labefactatur hujus primæ Regulæ robur & efficientia.

hæc ſanctio, quia obſtant multæ exceptiones.

1. Ac in univerſum quidem docet nos experientia, ſuam his in terris cujuſque hominis felicitatem & infelicitatem non ſemper omnino parem eſſe cum eo probitatis vel nequitiæ gradu, qui in ſingulis hominibus deprehenditur. Atque ſic vegetum corpus, divitiæ, generis nobilitas, liberalis inſtitutio, bonarumque artium peritia, ac alia demum exteriora bona plerumque pendent a multiplici cauſarum varietate, unde inæqualis eſt illorum partitio: quinetiam hæc eadem bona ſæpius evaneſcunt supervenientibus cauſis quoſvis homines pariter involventibus. Equidem vitæ felicitas aut infelicitas poſita prorſus non eſt in generis vel divitiarum diſcrimine: nihilominus ſumma egeſtas, turpis bonarum artium ignorantia, denegatis videlicet omnibus ad informandam mentem auxiliis, nimii labores, anxietas animi, corporiſque dolor, veriſſima mala ſunt, quibus ob varios caſus viri probi premuntur non ſecus ac improbi.

Bonorum malorumque a natura fortunaque pendentium inæqualis eſt partitio, nec juſtum cujuſque meritum.

2. Præ-

2. Præter inæqualem illam bonorum malorumque naturalium partitionem, viri probi non magis quam improbi ab iis malis tuti ſunt, quæ ex malitia gignuntur, vel ex iniquitate, aut per vim vel ambitionem contingunt. Quales ſunt tyrannicæ vexationes, horrida bella, & tot aliæ publicæ privatæque calamitates quibus pariter obruuntur boni malique homines. Sæpe etiam fit ut earum ærumnarum auctores eis quam minime ipſi angantur, tum quia res proſpere cedentes tutos illos a calamitatibus præſtant, tum quia ſic quandoque pertinax eſt eorumdem perverſitas, ut, nullo ſtimulati conſcientiæ morſu, partis ex ſua nequitia commodis ſecuri fruantur.

Parta ex iniquitate mala ſontes premunt inſonteſque.

3. Quoniam non ita raro calumniæ ſubjacet innocentia, & vexationi virtus objicitur. In his igitur ſingularibus cauſis in quibus viri probi ſuæ virtutis, ut ita dicam, victimæ fiunt, quænam erit, quæſo, Naturalium Legum vis, quave ratione ſe tuebitur earumdem auctoritas? An quia interiore gaudio afficitur ſibi recte conſcia mens, ea vis honeſtatis erit ut ob eam retinendam patiatur quis non ſolum fortunarum ſuarum & quietæ conditionis, ſed etiam ſuæ famæ atque ipſius vitæ jacturam? Atqui in ejuſmodi difficilibus cauſis ſatis frequenter irretiuntur homines: maximum autem & latiſſime patens momentum eſt in iis partibus quas tunc ſuſcipiunt: hinc enim ſua exiſtit hominum ſocietatis felicitas vel infelicitas.

Quandoque ob ipſam virtutem vexatio concitatur.

§. XIII.

§. XIII.

Non ſatis eſt viriū in his rationibus quas humana prudentia adhibet, ut dictis malis medeatur.

Sic vere ſe res habent. Hinc in univerſum liquet ex ſolo Naturalium Legum cultu gigni poſſe hominum felicitatem, & aliquam in humana ſocietate diſciplinam conſtitui. Illinc contra ſi vitii virtutiſque ſpectentur ſoliti & naturales exitus, non ita videtur præſtare vitio virtus, ut ſemper præpolleat ordo in hominum utilitatem ſervandus.

Inde oritur graviſſima quæſtio adverſus morale noſtrum ſyſtema. Cujuſvis Legis, inquiunt, ea debet eſſe ſanctio, quæ ratione præditum hominem ad obſequium flectat, propter ipſius bonum propriamque utilitatem, eſt enim humanarum actionum ſumma motrix utilitas. Quamquam vero qui morali veſtro ſyſtemati parent (ſic enim pergunt contrariæ opinionis fautores) ex eo plus utilitatis in univerſum percipiant, quam qui eidem non parent, ea tamen non tanta eſt nec tam certa utilitas, ut per illam in ſingulis cauſis ſufficienter ea penſentur quæ quis pati cogitur in officiis ſuis exequendis. Igitur veſtro ſyſtemati non ineſt neceſſaria vis & auctoritas ad eum finem aſſequendum quem ſibi Deus propoſuit. Quapropter alia quam veſtra ſtatuenda eſt evidentior, certior, & latius patens veræ Legis ſanctio, ſi quæ præſertim Lex a natura ſapientiſſima ſuam habet originem.

Quæ

Quæ hìc nobis objiciuntur politicæ adminiſtrationis periti atque Legislatores pulchre intellexerunt quam vera ſint, unde invalidæ ſanctionis defectum, quantum in ſe fuit, ſupplevere. Itaque Civile Jus promulgarunt Naturali Juri ſuppetias ferens; ſceleri pœnas comminati ſunt, ſuam virtuti poſuere mercedem, & tandem judices conſtituti ſunt humanarum actionum. Ac ſane novum illud eſt Juſtitiæ præſidium, nec quidquam melius excogitare homines potuerunt quo malis mederentur de quibus dictum eſt. Neque tamen hoc ſufficit, & niſi quid aliud addatur, multa ex parte mancum eſt morale ſyſtema.

Nam 1. plurima mala ſunt tum a natura tum ab hominum iniquitate parta, quorum omnis humana poteſtas vel maxime probos viros nequeat immunes præſtare. 2. Leges humanæ non ſemper cum juſtitia & æquitate conſentiunt. 3. Quantumvis juſtæ ſint humanæ Leges, ad omnia non poſſunt extendi. 4. Quibus exequendarum Legum demandata cura eſt, ii vel ſunt imbecilles, vel imperiti, vel ſe corruptelæ permittunt. 5. Quantacumque ſit Magiſtratus probitas, multa tamen ejus prudentiam fugiunt: nec enim poteſt quodvis reſcire, nec quodvis emendare. 6. Denique inauditum non eſt probos viros non ſemper in ſuo Judice benevolum fautorem, ſed quandoque præpotentem inimicum ſortiri. Quæ igitur ſors erit probitatis, ſi armatam adverſum ſe ipſam manum illam formidet, a qua

a qua ſuam defenſionem & præſidium expectabat?

§. XIV.

Haud levia ſunt quæ contra noſtrum ſyſtema objiciuntur.

ITAQUE vim ſuam adhuc retinent quæ hìc nobis objiciuntur, quorum ſane non leve pondus eſt. Primo namque univerſum divinæ providentiæ conſilium impugnant: Deinde per hæc non parum labefactari poteſt virtutis imperium, ejuſque neceſſaria cum hominis felicitate cohæſio.

Operæ pretium eſt objectam quæſtionem diluere, quæ tum graviſſimum momentum habet, tum omnibus retro ſæculis propoſita fuit. Hæc autem quæſtio quanto in ſe verior & difficilior eſt, tanto probabilior futura videtur ejuſdem enodatio. Quorſum enim Divina Sapientia, quæ tam ſapienter phyſicas res ordinavit, adeo imperfectas obſcuraſque res morales eſſe voluiſſet?

Rurſus itaque naturam hominis, eique deſtinatam ſortem evolvamus, videamuſque an non præſentem vitam alia vita ſubſequatur in qua objectæ quæſtionis ſolutionem inveniamus. Quæ hactenus dicta ſunt de iis quos virtus vitiumque naturales exitus habent, jam dimidiam exhibent Naturalium Legum ſanctionem. Inquiramus porro an non aliam ſanctionem poſſimus comperire, integram illam quidem & proprie dictam, quæ in ſuo genere, in ſuo gradu, in ſua duratione modoque omnino poſita ſit in mera Legislatoris voluntate, quæ rurſus

ſan-

ſanctio ea ſit per quam omnia juxta ſummam juſtitiam invicem penſentur, & per quam in omnibus & ſecundum omnia Divinæ Leges humanis Legibus antecellant.

CAPUT XIII.

Arguitur ANIMÆ IMMORTALITAS. *Exiſtit* PROPRIE DICTA *Naturalium Legum* SANCTIO.

§. I.

QUÆ modo nobis objecta quæſtio eſt, quamque in hoc capite elucidandam aggredimur, hæc ita ſe habet, ut ſecundum illam totum humanitatis ſyſtema hac præſenti mortalique vita circumſcribatur, nec poſt hanc mortalem vitam alia ſors hominum futura ſit, atque idcirco ad Naturales Leges ſanciendas nihil aliud a Divina Sapientia expectandum ſit quam quod his in terris cernitur. Qualis ſit propoſita quæſtio.

Quod ſi ita ſe habeat, mancæ profecto ſunt Naturales Leges. At vero morale ſyſtema oſtendemus eſſe ſuis omnibus numeris abſolutum, ſi prius nobis hæc ſequentia duo probata ſint. Primo quidem, quæ præſens eſt hominum conditio, initium eſt futuræ alterius conditionis, quæque longius pateat. Deinde certa hæc eſt voluntas Dei, ut quas hominibus agendi Regulas Rationis ope præſcripſit, vim omnem habeant Legi-

bus

bus competentem, eas enim Deus munivit proprie dicta ſanctione.

§. II.

De propoſita quæſtione piſſentiunt ſcriptores. Quibus modis hac in materia dignoſci poſſit voluntas Dei.

De quibus gravibus certe quæſtionibus inter ſe diſſentiunt ſcriptores. Alii aſſerunt ex ſolo Rationis lumine deduci evidentia inconcuſſaque argumenta, quibus non ſolum conſtat de pœnis atque mercedibus futuræ vitæ deſtinatis, ſed quibus etiam animæ immortalitas arguitur. Alii autem contendunt unam Rationem de propoſita quæſtione conſulentibus incerta & obſcura eſſe omnia, tantumque abeſſe ut per Rationem futuræ vitæ adſit aliqua demonſtratio, ut ne ulla quidem probabilitas appareat. Sed qui alterutro modo ratiocinantur, mihi videntur rectæ ratiocinationis limites egredi. Quæ res hìc diſceptatur, quoniam tota poſita eſt in Dei voluntate, hujuſce voluntatis dignoſcendæ certiſſima ratio foret ipſius Dei diſerta hac de re ſignificatio. At nos ſiquidem anguſtis naturalium cognitionum ſpatiis includimur, diſertam illam Dei ſignificationem omittamus, experiamurque an ex recta Ratione argumenta certa elici poſſint, aut ea ſaltem ita vere conjici per quæ ſatis certo Dei propoſitum innoteſcat. Quod ut præſtemus, hominis naturam præſentemque conditionem iterum iterumque evolvamus; tum duce recta Ratione Dei virtutes, propoſitumque Deo de humano genere conſilium ex-

expendamus, ac ita tandem dignoſcere conemur, quinam futuri ſint exitus harum Naturalium Legum quas nobis Deus injunxit.

§. III.

Quod ad hominis naturam attinet, hoc primum inquirendum occurit, an mors revera ſit ultima exiſtentiæ noſtræ meta, ita ut ſoluto noſtro corpore neceſſe ſit animam quoque noſtram interire; vel utrum anima noſtra ſit immortalis, id eſt, etiamnum ſuperſit ſoluto noſtro corpore? Anima eſt ne immortalis?

Atqui animæ immortalitas non ſolum in ſe ipſa nihil habet impoſſibile, ſed hanc animæ immortalitatem Ratio conjicit omnino veriſimilibus cauſis innixa.

Quibus peritiſſimis Philoſophis noſtra quæſtio agitata eſt, ii animam a corpore omnino ſecernunt, utpote quorum natura prorſus diverſa ſit. Primum enim animæ facultates, quales ſunt intellectus, voluntas, libertas, & quæcumque ex iis animæ facultatibus oriuntur, nulla intelliguntur ſimilitudine accedere ad extenſionem, ad figuram, ad motum, quæ omnia materiæ propria ſunt. Deinde quia ſubſtantiam extenſam intelligimus ut mere paſſivam, ſubſtantiæ extenſæ dos illa paſſiva prorſus repugnare videtur cum interiore illa adeoque actuoſa facultate, quæ cogitantis ſubſtantiæ propria eſt. Corpus ex ſe ipſo non movetur, at vero mens ſuorum motuum in ſe ipſa conti- *I Argumentum.* A natura corporis omnino diverſa videtur natura mentis.

net originem. Menti ſcilicet ineſt actio, cogitatio, voluntas; per eam movetur corpus; hæc ſuas actiones vertit quocumque libitum eſt; ſiſtit ſuum iter vel ulterius progreditur, aut etiam regreditur. 3. Quæ in nobis ſubſtantia cogitans eſt, aliquid ſimplex eſt, unicum indiviſumque; ſiquidem omnia noſtra cogitata omneſque noſtras perceptiones tanquam in unum coadunat; per mentem enim concipiuntur, ſentiuntur, atque inter ſe conferuntur, quæ omnia præſtari nequeunt a natura pluribus partibus conſtante.

§. IV.

Quapropter ſoluto corpore non ſequitur animæ neceſſarius interitus.

IGITUR noſtræ mentis videtur eſſe peculiaris natura, quæ ab aliis corporeis craſſiſque ſubſtantiis omnino diverſa ſit, quam vere dixeris meram eſſe intelligentiam, & aliquo modo ſupremæ naturæ participem, in quam ſententiam ſic apprime TULLIUS. „ Animorum nulla in terris origo inveniri „ poteſt: nihil enim eſt in animis mixtum „ atque concretum, aut quod ex terra na- „ tum atque fictum eſſe videatur; nihil ne „ aut humidum quidem aut flabile aut i- „ gneum. His enim in naturis nihil ineſt, „ quod vim memoriæ, mentis, cogitationis „ habeat; quod & præterita teneat & futu- „ ra provideat & complecti poſſit præſentia: „ quæ ſola divina ſunt; nec inveniuntur „ unquam, unde ad hominem venire poſ- „ ſint, niſi a DEO. Singularis eſt igitur

„ quæ-

„ quædam natura atque vis animi, ſejun„ cta ab his uſitatis notiſque naturis. Ita „ quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſa„ pit, quod vivit, quod viget, cœleſte „ & divinum, ob eamque rem æternum fit „ neceſſe eſt. *Cic. Tuſcul. Diſput. Lib. I.* „ *Cap.* 27.

Ex quibus merito Tullius infert immortalem animam eſſe. Namque anima & corpus ſi duo ſint omnino inter ſe diverſa, ſublato uno minime neceſſe eſt tolli & alterum; nihilque obſtat quominus anima perſtet, quamquam in quibus degebat caducæ ædes diruantur.

§. V.

Sin objicias non ſic nobis compertam eſſe interiorem ſubſtantiarum naturam, ut recte negemus concretam cum aliqua extenſa materia mentem ſeu cogitationem adglutinari per Deum potuiſſe: Reſpondeo, non aliud attamen de rebus judicium ferri poſſe, quam quod cum ipſa rerum apparentia atque cum ideis noſtris conſentit; alioquin incertum foret in ſcientiis quidquid evidentiſſima demonſtratione non inniteretur, atque ſic abſurdæ Pyrrhoniorum opinioni quodam modo aſſentiremur. Verum in hoc noſtro argumento id unum Ratio poſtulat, ut accurate ſecernantur, quæ dubia, quæ certa, quæ probabilia ſunt; quoniam autem quidquid nobis de extenſa materia compertum eſt, nullam habet cum no-

Solvitur objectum.

ſtræ mentis facultatibus affinitatem, ſed contra ſubſtantiæ extenſæ & ſubſtantiæ cogitantis videntur eſſe diſſociabiles qualitates, ſi quis afferat eſſe omnino probabile, quæ pars noſtri cogitans eſt a natura corporea neceſſario diverſam eſſe, is certe divinam potentiam non coarctat, ſed Rationis lucem ſequitur.

§. VI.

Confirmatur ſuperius argumentum quoniam in natura nihil in nihilum recidit.

SED quæcumque ſit animæ natura, atque ſi etiam, nullo licet indicio ſuffragante, corporea fingatur eſſe anima, minime tamen exinde poſſet colligi, intereunte corpore animam pariter neceſſario interire. Neque enim quidquam videmus quod in nihilum proprie recidat, corpuſque ipſum, quantumvis anima ſit longe deterius, non tamen per ipſam mortem ad nihilum redigitur. Corporis quidem partium magna fit per mortem corruptio; nihilominus corporeæ ſubſtantiæ eadem ſemper natura remanet, nec ei quid aliud contingit quam formæ immutatio, aliuſque partium contextus. Quam ob cauſam igitur anima in nihilum recideret? Concedam, ſi vis, fore ut animæ ſuperveniat non levis mutatio, erit namque vinculis libera quibus corpori adligabatur, nec ulterius ſimul operabitur cum corpore. Sed an inde conſequens eſt animam non ſubſiſtere ſegregatam a corpore, vel an ideo præcipua ſua facultate, nimirum intelligentia ſpoliabitur? Non hæ pro-

profecto futuræ videntur animæ vices, nec ex interitu corporis ſequitur interitus animæ.

Quapropter interior animæ natura etiamſi non eſſet dijudicatu poſſibilis, attamen qui ex interitu corporis neceſſarium colligeret interitum animæ, is rectæ ratiocinationis limites prætergrederetur, & conſequentias deduceret ultra id quod per ipſam rem exhibetur. Itaque ſemper eo quæſtio redit; vultne Deus animam ad nihilum redigere, vel eam ſervare? Equidem per illa quæ de animæ natura nobis innoteſcunt, non inducimur ad credendum cum corpore animam interire: ſed ſi inſuper animæ præſtantiam contemplemur, ex hac animæ præſtantia non ſine gravi cauſa conjicietur ejuſdem immortalitas.

§. VII.

II. Argumentum. Animæ præſtantia.

Ecquis probabiliter cenſeat præditam intellectu naturam, quam penes eſt tot vera dignoſcere, tot operta retegere. de rebus innumeris ratiocinari; quæ rerum illarum inter ſe accommodationem callet, convenientiam & pulchritudinem, quæ ad ſuum conditorem Deum aſſurgit, ejus opera & conſilia contemplatur ſcrutaturque, ſeque ipſam evehit ſupra res ſub ſenſum cadentes, rerumque corporis expertium divinarumque cognitionem aſſequitur, & ad præclariſ-

ſimas virtutes idonea eſt; quis, inquam, probabiliter cenſeat hujuſmodi naturam tot egregiis facultatibus inſtructam adeoque brutis animantibus antecellentem in hoc breviſſimum vitæ ſpatium tantummodo conditam eſſe? Longe aliter ſenſere Veteres Philoſophi, eoſque acriter perculit quæ dicta eſt nobis animæ præſtantia. „ Quid multa? „ Sic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta „ celeritas animorum ſit, tanta memoria „ præteritorum, futurorumque prudentia, „ tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, „ non poſſe eam naturam, quæ res eas „ contineat, eſſe mortalem. *Cic. De Seneƈt.* „ *Cap.* 21.

§. VIII.

Argumēta noſtra confirmantur ex eo quod noſtræ facultates poſſint ſemper magis magiſque perfici.

Ea eſt inſuper humanæ mentis natura, ut ulterius ſemper progredi ſuaſque valeat magis magiſque facultates perficere. Cognitiones autem noſtræ quamvis jam nunc certis ſint limitibus circumſcriptæ, nihilominus ſi cogitationum ratio habeatur quas poſſumus comparare, vel ea ſpectentur quæ poſſumus adinvenire, aut etiam attendantur illa, quæ in hominibus poſſibilia ſunt, judicii, prudentiæ, virtutiſque incrementa, horum omnium limites nullos deprehendimus, quoniam in his ſemper poſſunt homines novum aliquem perfectionis & maturitatis gradum aſſequi. Quinetiam mors homines occupat, cum adhuc imperfecti ſunt eorum progreſſus, atque in eo eſſent ut lon-

longe ulterius progrederentur. „ Quis exi-
„ ſtimet, ait *Spectator Anglus*, humanam
„ mentem tot perfectionibus, innumeriſque
„ virtutibus & cognitionibus comparandis
„ idoneam fere ab ortu ſuo ad nihilum re-
„ digendam eſſe? An putabimus humanæ
„ menti has dotes inditas quæ nullum u-
„ ſum habituræ forent, nihilque in illis
„ concedendis fuiſſe conditori propoſitum.
„ Brutum animal ſibi deſtinatum perfectio-
„ nis gradum aſſequitur ultra quem nequit
„ progredi, ſed pauciſſimis annis qualitates
„ omnes adipiſcitur naturæ ſuæ accommo-
„ datas, quibus partis qualitatibus, etiamſi
„ decies centena annorum millia viveret,
„ idem propemodum eſſet ac nunc eſt. Ita-
„ que mentem humanam arbitrarer ſenſim
„ atteri, tum derepente interire, ſi modo
„ mens humana brutorum inſtar anguſtis
„ eſſet limitibus circumſcripta, atque intra
„ definitum quoddam tempus ejus faculta-
„ tes ita perficerentur, ut ulterius nequeat
„ perfici. At vero credibile non eſt cogi-
„ tantem naturam, ſinguliſque diebus alias
„ aliaſque perfectiones aſſequentem, poſt-
„ quam ſui Conditoris opera cœpit con-
„ templari, ejuſque infinitam ſapientiam,
„ benignitatem, poteſtatemque aliquantu-
„ lum dignovit, ſtatim a primis initiis in-
„ terire, & vixdum inchoatis ſuis diſquiſi-
„ tionibus (a).

(a) *Spect. Ang. Tom. II. Serm.* 18.

§. IX.

Solvitur objectum.

EQUIDEM plerique homines brutorum animalium vitam quodammodo ſectantur, de ſuis facultatibus perficiendis minime ſolliciti. Sed licet complures ultro degeneres fiant, id nulla ratione iis nocet, qui naturæ ſuæ dignitatem generoſius tuentur, nec minus certa ſunt quæcumque de animæ præſtantia diſputavimus. Res enim ut recte dijudicentur in ſe ipſis ſpectandæ ſunt, & in ſuo maximæ perfectionis ſtatu.

§. X.

III. Argumentum. Noſtræ mentis indoles, & innata nobis deſideria ejuſdem humanæ mentis æternitatem arguunt.

IDEO certe futura ſponte proſpicimus, eaque etiam putamus noſtra intereſſe quæ nobis extinctis contingent; ideo noſtrum nomen noſtramque memoriam avemus æternare, & judicium curamus poſteritatis, quia interiore ſenſu nobis innoteſcunt, & noſtræ naturæ dignitas, & nobis deſtinatæ ſortis magnitudo. Cujuſmodi ſenſus non ex decepto noſtri ipſorum amore, nec ex præjudicata opinione proficiſcitur. Æternitatis ſpes deſideriumque ab ipſa natura noſtris mentibus impreſſa ſunt. Quæ ſpes, quod deſiderium, ita ex ſe ipſis conſentiunt cum Ratione, ita utilia ſunt, tamque arcte cum humanitatis ſyſtemate cohærent, ut inde futura poſt hanc vitam alia vita omnino probabiliter colligatur. Quantumcumque ſit æternitatis ex ſe ipſo

ipſo deſiderium, nihil in dies augeſcit; prout noſtram Rationem diligentius perficimus, magiſque in veritatis cognitione & cultu virtutis progredimur. Æternitatis autem interior ſenſus ille & ſpes illa nobiliſſimarum, fortiſſimarum, & ſocietati utiliſſimarum actionum fiunt origo; eoque noſtrarum actionum ſublato principio, omnia hominum propoſita neceſſe eſt levia, ignobilia, & abjecta eſſe.

Ex quibus omnibus manifeſtum apparet inter humanam mentem ejuſdemque mentis æternitatem tanquam naturalem convenientiam & accommodationem eſſe. Neque enim homines eludendo ſumma Dei ſapientia propoſitum ſibi finem aſſequitur, nec fictitium principium eſſe poteſt æternitatis opinio, quæ cum Ratione adeo conſentit, adeo neceſſaria eſt, cujus nonniſi ſaluberrimi ſunt exitus, per quam ſupra ſe ipſum evehitur homo, maximas res aggreditur, atque graviſſima pericula, & maxime virtuti obſtantia ſuperat. Graphice depingit CICERO quanto calcari æternitatis ſpes deſideriumque homines omni ævo ſtimulaverit ad id quodcumque magnum & egregium eſt. „ Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem. „ Licuit eſſe otioſo Themiſtocli; licuit „ Epaminondæ; licuit, ne & vetera & „ externa quæram, mihi: ſed neſcio quo „ modo inhæret in mentibus quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum;

„ id-

„ idque in maximis ingeniis altiſſimiſque „ animis exiſtit maxime, & apparet facil„ lime. Quo quidem dempto, quis tam „ eſſet amens, qui ſemper in laboribus & „ periculis viveret? *Tuſculan. Quæſt. Lib.* „ *I. Cap.* 15.

Quapropter eo omnia conſpirant, ut deleto corpori animam putemus ſupereſſe. Etenim quæ nobis de noſtræ mentis natura comperta ſunt; ejus præſtantia facultateſque, quæ ſemper poſſunt magis magiſque perfici; tum mentis habitus ille quo ſupra mortalem hanc vitam elati æternitatem innato ſenſu affectamus; hæc omnia, inquam, haud leves profecto conjecturæ, ſed genuina ſigna ſunt, eam revera eſſe Conditoris Dei voluntatem, ut hominum æterna ſit mens.

§. XI.

Naturalium Legum ſanctio manifeſta fiet in vita futura.

Ad præcipuam noſtram quæſtionem, ſcilicet Naturalium Legum ſanctionem probandam non parum confert in luce poſita noſtræ mentis immortalitas, per quam immortalitatem jam partim ſolvuntur quæ noſtræ ſententiæ adverſantur objecta. Etenim ſi ſoluto corpore mens adhuc exiſtat, nihil impedit quominus id quod in præſenti vita Naturalium Legum ſanctioni deeſt, in futura vita ſuppleatur pro Legislatoris Dei arbitrio.

Explorata nobis eſt pars hominis *phyſica*, unde non exiguum adjumentum adeſt

ad illud quod inveſtigatur inveniendum. Expendamus jam *moralem* partem hominis, ſive hominem intueamur, prout eſt ad ſequendam Regulam habilis, & in ſuis actionibus cognitionem delectumque adhibens; tum deinde ad ipſum Conditorem Deum aſſurgentes videamus annon poſſint comperiri nova argumenta, ex quibus longe probabilius quam ex iis quæ ſuperius diſputata ſunt, tum futura vita, tum huic futuræ vitæ demandata prœmia vel aſſignatæ pœnæ conjiciantur.

Sed in hunc locum revocanda neceſſario plura ſunt, quæ paſſim in hoc volumine diſputata fuere; eſt enim eorum omnium colligenda ſumma: quoniam ſi vera demonſtretur eſſe quam aggredimur probandam quæſtionem, exinde totum abſolvetur noſtrum ſyſtema. Atque ſic pictores imitabimur, qui ſingulas quidem ſuarum tabellarum partes ſeorſim tractant, tum omnes deinde ſimul retractando connectunt, ut hinc pariatur concentus, & unum ac totum quid conficiatur.

§. XII.

Igitur homo, ut jam intelleximus, Ratione & Libertate præditus eſt, juſtum honeſtumque ab injuſto & turpi ſecernit, ipſe ſibi eorum conſcius eſt quæ bona vel mala ſunt, ſuo ſe Conditori novit obnoxium eſſe, natumque quibuſdam officiis exequendis. Hominis præclariſſima ornamenta ſunt Ra-

Primum Argumentum deductum ex natura hominis moraliter ſpectati.

Ratio & Virtus. Hominis jubente Deo magnum hoc opus, hic labor eſt, ut in cultu Rationis Virtutiſque ſine intermiſſione progrediatur, lucroque apponat quaſcumque nanciſcitur occaſiones colendæ honeſtatis, informandæ ſuæ mentis, rerumque objectarum expendendarum. In quibus laudandis ſane officiis quo ſæpius homines exercentur, & in iis colendis ipſa exercitatione confirmantur, eo magis ſui Conditoris propoſita exequuntur, dignoſque ſe præbent quibus exiſtentiam Deus conceſſerit. Cujuſmodi homines recte intelligunt ab ipſis ſuarum actionum rationem merito exigi, ſeque ipſos probant vel damnant, prout vel bene vel male ſe geſſerunt. Ex quibus omnibus manifeſtum prorſus eſt non eſſe cenſendos homines inter naturas mere *phyſicas*, qualia ſunt cætera animalia; ſed contra liquet homines morali genere contineri, unde ſublimior natura illorum eſt, & in fines longe diverſos comparata. Nec enim veriſimile eſt humanam mentem, cujus in ſingulos dies augetur ſapientia virtuſque, ad interitum vergere, vel ab ipſo Deo mentis lucem extingui, quo tempore ſplendidior eſt. Igitur multo ſatius eſt exiſtimare facultatum noſtrarum uſui ſuam in altera vita mercedem pœnamve irrogandam eſſe, quarum certe facultatum a nobis rationem is exiget a quo illas accepimus, & merita noſtra penſabit. Sed quoniam hoc de noſtris actionibus Dei Judicium non ſatis in his terris ſufficien-

ter manifeſtatur, profecto autumandum eſt initum Conditori Deo de hominibus conſilium ultra metas extendi hujus præſentis vitæ.

§. XIII.

Jam ab homine ad ipſum Deum aſſurgamus: ſic enim magis ac magis compertum habebimus, illud quod dicimus revera Deo propoſitum eſſe.

Alterum argumētum deductum ex Dei perfectionibus.

Si quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt, ea ſit Dei voluntas, homines rectæ Rationi obſequi, juxta inditas ſibi facultates conditionemque in qua verſantur; ea certe Dei voluntas alia non poteſt eſſe quam veriſſima, certiſſima, & omnino diſerta. Hæc enim illius voluntas eſt a quo omnia condita ſunt, cui ſubjacent omnia, qui omnibus providet. Hæc iterum illius voluntas eſt, qui ſumme potens eſt, ſumme ſapiens & ſumme bonus; qui ſibi ſemper propoſitos habet præſtantiſſimos fines, ſive ſe ipſum, ſive res creatas reſpiciat, unde illud ab ipſo proculdubio conſtituitur quidquid juxta Rationis præſcripta rerumque naturam & conditionem neceſſarium eſt, ut conſilia ſua exequatur. Quorum principiorum veritatem nemo ſanus poſſit infitiari. Sed quid ex iis conſequatur videndum eſt.

1. Si fuerit hoc divinæ ſapientiæ proprium, ut hominibus Leges revera præſcri-

be-

berentur, ejuſdem divinæ ſapientiæ officium eſt, ut hæ Leges neceſſariis cauſis innitantur, ob quas naturæ intellectu, Ratione, & libertate præditæ ſemper teneantur præſcriptis Legibus ſeſe accommodare. Alioquin vel Deus certo & vere non vult Leges illas ſervari, vel non ſervantur ob deficientem in Deo poteſtatem aut ſapientiam.

2. Si fuerit illa Dei benignitas, ut homines noluerit fortuito vitam degere, ſuarum cupiditatum ludibrio permiſſos; ſi Rationis lumen eis conceſſerit ne a recta via declinarent; ex eadem Dei benignitate conſequens eſt, ut ſtabilis & perfecta felicitas eis competat, quorum Dux Rationis lumen fuerit.

3. Deinde docet nos Ratio ordinis amantiſſimam eam naturam eſſe, quæ omnipotens, ſumme ſapiens, & ſumme benigna eſt, ob quam omnipotentiam, ſummam ſapientiam, & ſummam benignitatem juſſit ordinem quoque vigere inter res creatas intellectu & libertate præditas, unde etiam Leges eis præſcripſit. Quibus de cauſis Deus ordinem moralem conſtituit, ob eaſdem cultum fovet ejuſdem ordinis. Igitur Deum decet tum ob ſuam gloriam, tum qua iis delectatur quæ recta ſunt, ut in aperto poſitum ſit diſcrimen divinitus conſtitutum inter fautores ordinis ejuſque violatores. Nec de ſervando ordine poteſt Deus ſecurus eſſe; namque tum ob ſuas perfectiones, tum ob ſui ipſius amorem ſuis Legibus vim o-

mnem

mnem & auctoritatem neceſſariam impertitur quo colantur, unde, hominibus in altera vita prœmia vel coercitiones proponi debuerunt, non ſolum ut ſpe allecti vel metu deterriti hanc præſentem vitam, quantum fieri poteſt, juxta rectum ordinem exigant; verum etiam ut in futura vita Conditor hominum Deus propoſita ſua exequatur pro ſua æquitate atque ſapientia, rebus omnibus ad primigenium ordinem revocatis.

4. Sed ex noſtro principio alia plura conſequuntur. Quoniam enim Deus amantiſſimus eſt ordinis a ſe ipſo in *morali* mundo conſtituti, hominibus illis certiſſime annuit, qui firmo ſinceroque animo huic ordini adhæreſcentes ſeſe conantur Deo acceptos præſtare, ejus pro virili parte conſilia exequendo; quorum contraria eſt agendi ratio, illos neceſſario Deus improbat damnatque (a): alii enim amicos Dei, ut ita dicam ſe exhibent; alii ſe illius inimicos profitentur. Sed quos Deus probat, illos ſuo proſequitur amore ſuaque benevolentia; quos autem improbat, eiſdem non poteſt favere. Quæ cum ita ſint, quam habemus cauſam credendi, tum amicos Dei, tum inimicos nullo interjecto diſcrimine parem conditionem ſortituros eſſe? Nonne multo potiori Jure cenſebimus aliquando denique Deum ſumme juſtum in aperto differentiam collocaturum quam ipſe ſtatuit virtutem inter vitiumque, eoſque

(a) Vid. *Part. II. Cap. X.* §. 7.

que tandem præſtiturum omnino felices quos diligit, utpote ipſius voluntati addictos, improbis autem meritas pœnas irrogaturum?

§. XIV.

Deus Naturalium Legum ſanctionem ipſe conſtituit.

Sic ſe habent Dei conſilia, eique propoſiti fines, quantum ex accuratiſſima divinarum perfectionum contemplatione tantæ rei cognitionem valemus aſſequi. Etenim ſi ſua tandem virtuti merces non ſtaret, & ſua vitio pœna, ratione quidem certiſſima, expleta, univerſa, & ad cujuſque probitatem vel nequitiam accommodata, jam Naturales Leges eæ non eſſent, quæ conſtitui debuerant a ſummo Legislatore, cujus providentia, ſapientia, poteſtas, & benignitas nullis finibus circumſcribuntur. Jam Leges illæ præcipua ſua vi deſtitutę non aliam quam ſimplicis ſuaſionis auctoritatem obtinerent. Jam a fundamentis quateretur humanitatis ſyſtema, juxta quod homines ideo facultatibus ſuis utuntur, ut felicitatem aſſequantur. Ac uno verbo, niſi in altera vita virtuti ſua merces & vitio ſua pœna parta ſit, in morali ſyſtemate defectus occurrit ab hominis natura, ab humanæ ſocietatis ſtatu, & ab ipſis moralibus Dei perfectionibus non leviter abhorrens.

Longe aliter ſe res habet, ſi futuram vitam ſtatuamus. Sic enim morale ſyſtema firmum deprehenditur, cohærens de-

finitumque, ita ut nihil ſit quod ulterius deſideres. Qua ratione nihil Deus illorum omittit quibus homines impelluntur ad rectam vitam inſtituendam, firmiſſimiſque fundamentis innituntur Naturales Leges, quibus jam nihil deeſt, ut graviſſimis de cauſis homines ad exequendum ſuum officium obſtringantur.

Quam ſanciendarum Naturalium Legum rationem debemus exiſtimare cœteris quibuſvis rationibus antepoſitam fuiſſe, quia in ſe optima & pulcherrima, atque Deo digniſſima eſt, nec aliam novimus quæ ita ſit hominis naturæ, conditioni, & neceſſitatibus accommodata.

§. XV.

Naturalium Legum in futura vita ſanctio arguitur vel per ipſa objecta ex præſenti rerum ſtatu deducta.

Hæc autem integra Naturalium Legum ſanctio, variis accommodata probitatis, & nequitiæ gradibus, ſi poſſet in his terris ſufficienter deprehendi, ſupervacaneum certe foret deductum ex altera vita argumentum, in qua jam non eſſet quærenda Dei propoſitorum ſolutio. Sed ſuperius intellectum eſt, etiamſi hinc ipſa rerum natura faveat, illinc adſint varia hominum inſtituta, non tamen omni ex parte ſuam in hac vita debitam vitio pœnam, ſuamque virtuti mercedem poſitam eſſe. Teſtem Hiſtoriam, teſtem conſule experientiam, & conſtituto ordini obſtare cernes quam plurima. At ſi altera vita ſtatuatur, jam omnis ſolvitur quæſtio; elucidantur,

ordinanturque omnia ; humanitatis ſyſtema firmum, ſibique ipſi cohærens & accommodatum eſt : in aperto Dei ſapientia ponitur, omniaque ſupplementa, omneſque neceſſarias compenſationes invenimus ad illud emendandum quidquid in hac mortali vita mancum eſt, inconcuſſoque columine virtus adnititur, quoniam ex hujuſmodi conſtituto ordine viri probi rerum quantumvis arduarum vel obeundarum vel ferendarum præpotentem cauſam nanciſcuntur.

Quæ hic ſtatuimus, ſi ex mera conjectura ortum ducerent, haberi quidem illa poſſent ut figmentum minus ad veritatem accedens, quam explicando noſtro ſyſtemati accommodatum. Sed noſtra ſententia, ut jam probatum eſt, ipſa nititur hominis natura atque præſtantia, necnon ingenito nobis illo ſenſu quo ſupra vitam præſentem evehimur; fundatur etiam in morali parte hominis, prout præſcriptam Regulam ſequi, ſuarumque actionum rationem tenetur reddere. Quibus ſi addas opinione noſtra virtutem fulciri, totumque perfici Naturalium Legum ſyſtema, profecto neceſſe habebis confiteri earumdem Naturalium Legum in futura vita ſanctionem non minus veriſimilem, quam eximiam & utilem eſſe.

§. XVI.

§. XVI.

Inde ſit ut futuræ vitæ opinio omnibus temporibus & apud omnes gentes plus minuſve recepta ſit, prout homines plus minuſve Rationem ſuam excoluerunt, vel proximius ad rerum originem acceſſere. Inter Ethnicos eamdem, quæ noſtra eſt, & eiſdem de cauſis ſapientiſſimorum virorum fidem extitiſſe, tum ex hiſtoricis monumentis, tum ex luculentiſſimis Philoſophorum teſtimoniis in promptu nobis eſt demonſtrare. Sed hic ſatis eſto advertere, quæ aliis ſcriptoribus de hoc argumento Philoſophorum teſtimonia collecta ſunt ad firmandam noſtræ opinionis veritatem multum quidem prodeſſe; ſiquidem ex his teſtimoniis dignoſcuntur vel nunquam penitus interlita primigeniæ fidei veſtigia, vel Naturæ atque Rationis elata vox, aut utrumque ſimul, unde noſtris ratiocinationibus non parum accedit ponderis.

Futura vita omnibus propemodum gentibus credita.

CAPUT XIV.

Quæ modo protulimus argumenta eam habent VERISIMILITUDINEM, *eam* CONVENIENTIAM, *ut abunde ſufficiant ad ſtabiliendam noſtram fidem, noſtramque agendi rationem dirigendam.*

§. I.

Naturalium Legum ſanctionem ſufficienter probavimus.

HACTENUS mentis immortalitatem, quæſtionem certe ſummopere momentoſam, necnon dedicatum in futura vita ſuum virtuti prœmium, ſuamque nequitiæ demandatam pœnam expendimus, quantum hæc omnia naturali lumine poſſumus aſſequi. Prolati cujuſvis in has quæſtiones argumenti ſuum proculdubio peculiare robur eſt; & hæc ſingula argumenta alterum alterius opem ſortita, atque ſic per ſuam conjunctionem validiora, intimam certe perſuaſionem inducere debent in animum attentum & præjudicatarum opinionum immunem, viderique debent ſufficientia ad Naturalium Legum ſtabiliendam auctoritatem ſanctionemque, quæ auctoritas & ſanctio tam late pateant, quam neceſſe eſt ad objecta quævis ſolvenda.

§. II.

Objicitur nonniſi *meram*

SIN dicas omnia noſtra de propoſita quæſtione ratiocinia probabilibus tantum con-

conjecturis niti, nec iis aliud quidquam vere contineri niſi, *qualemcumque convenientiam*, unde noſtra argumenta longe diſtant a *demonſtratione*; fatebor equidem non hic omnimodam evidentiam deprehendi: ſed noſtrorum argumentorum tanta eſt veriſimilitudo, & firmata tam gravibus cauſis convenientia, ut noſtra opinio adverſæ opinioni longe debeat antecellere, & juxta illam inſtituenda ſit nobis vitæ ratio.

convenientiam noſtris argumentis contineri. Cui objecto in univerſum reſpondetur.

Etenim mirum in modum incerti vagaremur ineundarum partium neſcii, ſi non aliter ad agendum quam per evidentia argumenta impelleremur. Sæpiſſime fit ut quarum rerum natura evidentiam non admittit, in iis ſufficere debeant probabiles multæ conjecturæ, quibus raro decipimur, ſi tamen inter ſe conjunguntur comparenturque, & ſedulo explorentur. Itaque in phyſicis rebus, in arte medica, in Critica, in Hiſtoria, in publica adminiſtratione, in mercatura, atque fere in omnibus quæ hac in vita geruntur, vir prudens has vel illas partes amplectitur variis cauſis impulſus, quas mature dijudicatas contrariis cauſis ſuperiores putat eſſe.

§. III.

Quo melius intelligatur quam vera ſit hæc noſtra ratiocinandi ratio, abs re non erit ſtatim elucidare quid ſit *convenientiæ ratio*; tum deinde inveſtigabimus quo univerſo

Quid ſit ratio convenientiæ.

verſo principio fundetur deducta ex convenientiæ ratione noſtra ratiocinatio, & in quo potiſſimum ſita ſit ejus vis, ſi quando Naturali Juri accommodatur. Sic enim vere innoteſcet quale quantumque ſit argumentorum noſtrorum pondus, & quouſque in agendo ſequenda ſit nobis illorum auctoritas.

CONVENIENTIÆ RATIO *eſt ratio deducta ex neceſſitate rem quamdam ut certam admittendi, ad perfectionem ſyſtematis alioquin utilis, veri, ſibique cohærentis, quod ſyſtema, licet nulla de cauſa dici poſſit gravi aliquo defectu laborare, nihilominus mancum eſſet, niſi dicta convenientiæ ratio admitteretur.* (a) Cui definitioni illuſtrandæ ſequens exemplum adhibeamus. Offert ſe noſtris oculis ingens ſuperbumque palatium miro omnium inter ſe partium ordine, junctura, commenſuque undequaque abſolutum, in quo ædificando architectonices ſervatæ ſunt regulæ illæ omnes unde conſtat ædium firmitas, ſalubritas, commodus uſus, & pulchritudo. Uno verbo quaſcumque dicti palatii partes intuemur, peritiſſimum architectum indicant. Nonne merito cenſebimus quæ non videmus fundamenta æqualiter tamen firma eſſe, & ponderi apta quod ſuſtinent? An in re tanti momenti, fundamentis ſcilicet, hallucinatum architectum cenſebimus? Nemo certe conjiciet hujuſmodi rem neutiquam veriſimilem, niſi adſint illi certiſſima argumenta, aut ipſe ſuis oculis viderit non eſſe poſita palatii fun-

(a) Vid. *ſup. Cap. VIII.* §. 2.

fundamenta. Quis enim ſanus, quoniam palatii fundamentis deſtituti poſſibilitatem in ſuo tantum intellectu exiſtentem percipit, cum aliquo facta ſponſione contendat, ſuppoſitis fundamentis ſuperjectum non eſſe, ſi quod videt palatium?

§. IV.

Noſtræ ratiocinationis generale fundamentum.

SIC ſe habet CONVENIENTIÆ RATIO. In qua ratiocinandi methodo illud generaliter præcipuum eſt, quod non ea tantum ſint ſpectanda, quæ poſſibilia, ſed & quæ probabilia ſunt. Cujus autem rei veritas ex ſe parum innoteſcit, per genuinam ſuam cum aliis veritatibus conjunctionem fit veriſimilis. Qua de cauſa Phyſici de comperta veritate non dubitant, ſi quando eam hypotheſim adinvenerunt per quam feliciter explicantur omnia phœnomena; nec in Hiſtoria quidam eventus in dubium revocatur, licet non ita perſpicuus, quoties hoc eventu tanquam unico fundamento & cardine volvuntur alii plures eventus certiſſimi. Quo probabilitatis principio partim nititur moralis certitudo, cujus tam frequens uſus eſt non tantum in pleriſque ſcientiis, verum etiam in ipſa vivendi ratione inſtituenda, necnon in iis rebus quæ maximam continent privatorum & familiarum ac univerſæ ſocietatis utilitatem.

§. V.

Ubi de Jure Naturali agitur, potiſſima eſt convenientiæ ratio.

Sed hæc ratiocinandi & judicandi ratio ſi tam ſæpiſſime in rebus humanis uſurpetur, atque in univerſum fundetur vero principio, longe adhuc certior eſt, ſi quando de operibus Dei inſtituitur diſputatio, & indaganda ac dijudicanda ſunt inita Deo conſilia, & propoſiti fines. Etenim univerſus orbis & ſingulæ partes quibus conſtat, necnon ſingulariter ipſius hominis & humanæ ſocietatis ſyſtema opus ſunt infinitæ intelligentiæ. Nihil fortuito editum eſt, nihilque hoc in orbe ex cœca, vel levi aut impotente cauſa pendet; ſed ea quæ facta ſunt omnia computavit & dimenſa eſt altiſſima Conditoris ſapientia. Igitur judicandum omnino eſt in perficiendo humanitatis ſyſtemate nihil quod eſſet neceſſarium a Conditore prætermiſſum fuiſſe, ſed potius ſyſtema illud ſuis omnibus numeris abſolutum eſſe, quo finis obtineretur Deo propoſitus, nec enim Deus ſibi ipſe adverſatur. Certe ſi neceſſariis partibus adhibendis curam impendit peritus architectus, quamquam errori obnoxius, utpote qui ſit homo, quanto magis eamdem curam debemus exiſtimare adhibitam fuiſſe a natura ſumme intelligente?

§. VI.

§. VI.

Conve-nientiæ ratio plu-res habet gradus. Quomo-do hi gra-dus di-gnoſcan-tur.

Ex iis quæ dicta ſunt intelligitur convenientiæ rationem non ſemper æqualis eſſe ponderis, ſed ejus auctoritatem plus minuſve validam eſſe, prout validiori vel imbecilliori neceſſitate fundatur. Atque ut in hanc rem Regulæ quædam ſtatuantur, in univerſum dici poteſt, 1. Quo Dei Conditoris propoſita & conſilia ſunt notiora; 2. Quo magis certam habemus ejus ſapientiam poteſtamque; 3. Quo magis ſapientia & poteſtas illa perfectæ ſint; 4. Quo noſtro ſyſtemati adverſata opinio pluribus & incommodis & tricis laborat, & magis ac magis in abſurdam vertitur ſententiam, eo magis urgent nos quæ ex enumeratis omnibus fluunt conſequentiæ; nec enim jam aliquid ſupereſt per quod earum conſequentiarum poſſit vis adæquari; unde illarum veritati per rectam Rationem cogimur aſſentiri.

§. VII.

Quæ ſta-tuimus principia noſtro ar-gumento accom-modan-tur.

Quæ ſtatuimus principia, ſic apprime, ſic abſolute argumento noſtro accommodantur, ut convenientiæ rationi nequeat major vis, nec clarior lux accedere. Quam rem ſi velimus enucleatius oſtendere, profecto actum agamus, nam ipſa ſe manifeſtam exhibet, & de illa in ſuperioribus capitibus ſatis ſuperque diſputatum eſt. Id unum adver-

ta-

tamus, convenientiæ ſcilicet rationi de admittenda poſt hanc vitam Naturalium Legum ſanctione tantam adeoque urgentem neceſſitatem ineſſe, ut ſecluſa illa ſanctione humanitatis ſyſtema caliginoſum atque intricatiſſimum evadat, & niſi omnino abſurdum deprehendatur, non tamen ab abſurdo multum diſtet. Rurſus ſecluſa illa ſanctione Divinum de hominibus conſilium ænigma fiet ſolutionem nullam admittens, nihilque poterit explicari. Nulla tamen prætendi cauſa poteſt ob quam toties laudata Naturalium Legum ſanctio in ſyſtemate deſit, quod ad cæteras partes attinet, tam eximio, tam utili, adeoque ſecum cohærente.

§. VIII.

Comparantur inter ſe oppoſita duo ſyſtemata.

JAM utriuſque ſyſtematis comparationem ineamus, videamuſque utrum ſit ordini conformius, naturæ conditionique hominis convenientius; ac uno verbo utrum ſit Rationi magis conſentaneum & dignus Deo.

Ex altera parte ſic ſe habet noſtrum ſyſtema. Rerum creatarum ac ſingulariter hominum & humanæ ſocietatis perfectio atque felicitas Conditori Deo propoſitæ ſunt. Quapropter hominibus intelligentiam & libertatem indulſit, facultatemque indidit dignoſcendæ ſuæ ſortis, necnon comperiendæ & ſequendæ viæ per quam unam deſtinatum ſibi finem poſſunt aſſequi; ejuſque ſtrictiſſimam obligationem impoſuit hujus

viæ

viæ jugiter inſiſtendæ, juſſitque ne unquam a Ratione declinarent, ſed per ejus præviam lucem perpetuo dirigerentur. Atque, quo melius ſe gerant homines, eis Deus inſevit neceſſarios omnes ſenſus & omnia principia, quæ recte vivendi certiſſima regula ſunt. Quæ principia ſive regulæ, quoniam ortum habent a natura potentiſſima, ſapientiſſima atque optima, ideo veræ Legis omnimodam vim & indolem referunt. Hæc autem Lex jam in hac vita vel probos beat mercede, vel improbos pœnis coercet. Sed quoniam non erat ſufficiens hæc prima Legum ſanctio, Deus quo ſapientiſſimum optimumque conſilium ſuum abſolveret, hominibuſque in quavis conditione conſtitutis ſufficientes agendi cauſas, & ad agendum neceſſariam opem præberet, Deus, inquam, inſuper conſtituit proprie dictam Naturalium Legum ſanctionem, quæ in vita futura aperte ſe prodet. Summus namque Deus ille attentis oculis hominum vitam circumſpicit, cujus ab eis rationem exiget, proboſque & improbos, quemque pro ſuo probitatis vel nequitiæ gradu, aut meritis præmiis donabit, aut juſtis pœnis afficiet.

Contra ſic ſe habet adverſum ſyſtema. Hac præſenti vita penitus circumſcribuntur homines, nec illis ultra quidquam vel ſperandum vel timendum ſupereſt. Creatorum ſemel hominum inſtitutæque ſocietatis Deus plane ſecurus eſt. Rationem nobis Deus in-

indidit per quam bonum a malo ſecerneremus: verum in noſtra poteſtate omnino poſitus eſt Rationis uſus, qua quemadmodum utamur neutiquam Deus attendit, qui nos ita nobis ipſis permiſit, ut id poſſimus facere quidquid libitum ſit. Nulla nobis erit noſtro Conditori reddenda ratio; ſed bonorum malorumque quantumvis in hac vita ſit inæqualis & abnormis partitio, & quantacumque ex hominum malitia vel iniquitate prava facinora pariantur, attamen nihil per Deum eſt in altera vita vel ſarciendum, vel compenſandum.

§. IX.

Naturalium Legum ſanctionem admittēs ſyſtema longe præſtat contrario ſyſtemati.

An hoc ultimum ſyſtema cum noſtro poſſit conferri? Utrum eorum ſyſtematum Dei virtutes clarius exhibet? Utrum eſt divina ſapientia, benignitate, juſtitiaque dignius? Utrum ad compeſcenda vitia, probitatemque in gravibus & periculoſis cauſis firmandam aptius eſt? Utrum tutiorem efficit humanæ ſocietatis incolumitatem? Utrum in Legibus Naturalibus auctoritatem illam magis reveretur, quæ ſummum Legislatorem decet, & hominum conducit utilitati? Duplex proponitur ſocietatis genus: in altera quidem admittitur noſtrum ſyſtema, ſed in altera illud ſyſtema ſequuntur quod nobis impugnatur; quis homo ſanus ad eam ſocietatem non ſe conferat, in qua ſecundum præcepta noſtra vivitur?

Pro-

Profecto ſi pulchritudinis & convenientiæ ratio habeatur, nulla poteſt inter utrumque ſyſtema iniri comparatio. Noſtrum ſyſtema perfectiſſimæ Rationis opus eſt; alterum peccaminoſum & in quo ſubſiſtunt multa damnanda. Ex quo ſolo ſatis intelligitur ex qua parte ſtet veritas, ſiquidem hic expendimus dijudicamuſque opera & conſilia Dei quam ſapientiſſime omnia facientis.

§. X.

Solvitur objectio.

Neve quis dicat noſtram mentem tam brevibus finibus circumſcribi, ut ſuper diſputata quæſtione temerarium ſit hominum judicium, nec ita nobis Dei naturam perfectioneſque notas eſſe, ut ſatis certo Dei conſilia & propoſita judicare valeamus. Quæ ratiocinatio, quamquam ſit aliquatenus recta, & quibuſdam in cauſis vera, nihil tamen probat, ſi ad noſtram quæſtionem referatur, ac proinde hujuſce ratiocinationis nulla vis eſt. Etenim liquet ex hac ratiocinatione generandum ſenſim eſſe moralem quemdam Pyrrhoniſmum, per quem humana vita & totus ſocietatis ordo funditus everteretur. Porro in propoſita quæſtione nihil medium intereſt, & duorum ſyſtematum expoſitorum neceſſario admittendum eſt alterutrum. Qui primum rejicit, alterum admittit, quæque ex eo conſequuntur abſurda omnia. Atque hinc liquet (quod operæ pretium eſt at-

attendiſſe) quantum in ſe vim habeat *Convenientiæ Ratio*, quam niſi admittamus, aſſentiri cogimur manco ſyſtemati, hinc inde incommodis ſcatenti, & ex quo nihil conſequitur cum Ratione conſentiens.

§. XI.

Quis debeat eſſe noſtrorũ argumentorum in noſtram agendi rationem influxus. Exigenda eſt nobis præſens vita tanquam altera credentibus.

EAM naturam vimque ſortitur Convenientiæ Ratio, qua convenientia nituntur argumenta Naturalium Legum ſanctionem conſtituentia. Videamus porro quantum hujuſmodi conjunctis argumentis hominum mens affici, eorumque agendi ratio adtemperari debeat. Eo enim referenda ſunt quæcumque diſputavimus omnia.

Ac primo quidem, quidquid ad conſtituendam Naturalium Legum ſanctionem protulimus, etiamſi foret incertum, ita ut adhuc ſub judice ſit noſtra quæſtio, nihilominus Ratio poſtulat, ut ita nos geramus, tanquam ſi aperte vera ſit dicta ſanctio. Quidquid enim in altera vita futurum ſit, tutiſſimæ profecto ſunt quas proponimus partes, ex quibus videlicet minus damnum imminet, apparet autem lucrum longe maximum. Quæſtionem expendamus in partem utramque. Si præſentem vitæ ſtatum alius futuræ vitæ ſtatus ſubſequatur, non ſolum errat qui futurum ſtatum illum non credit; ſed quia vitam ſuam non ſecus inſtituit ac ſi mens interiret cum corpore, hujus ideo graviſſimus error eſt, omninoque periculoſos exitus involvit. Sin errat qui

fu-

futurum alterius vitæ ſtatum credit, ejus error in univerſum ſaluberrimus eſt, ex quo videlicet in poſterum nihil mali gignatur, in præſentiarum vero vel nulla vel pauciſſima ſubſequantur incommoda. Igitur quidquid illud ſit, & quibuſcumque argumentis Naturalium Legum ſanctio impugnetur, nihilominus vir ſapiens inter illas Leges ſervandas aut violandas non pendebit animi dubius, ſed nequitiæ ſemper virtus præpollebit.

2. Futura vita quamquam dubia foret ac prorſus incerta; noſtra tamen ſententia ſemper intelligitur ſapientiſſima ac prudentiſſima, atque id eo clarius liquet, quod nemo poſſit inficiari quin noſtra ſententia longe probabilior ſit quam adverſantium opinio. Quivis homo res peritus expendere atque dijudicare ad agendum ſeſe accingit, modo impulſus primo veriſimilitudinis gradu, modo ſimplici probabilitate. Quam in uſu ſolito vitæ agendi rationem ſi prudentia poſtulat, quanto magis hæc eadem prudentia præcipit, ut ſimiliter in iis nos geramus, quorum graviſſimum momentum eſt, & ad noſtram felicitatem neceſſario pertinent.

3. Sed longius progrediamur, ac denique rem habeamus qualis revera in ſe eſt. Statuimus igitur futurum alterius vitæ ſtatum non equidem argui proprie dicta demonſtratione; at ſimul ſtatuimus hujuſce futuri ſtatus tot veriſſimis conjecturis fundari veriſimilitudinem, ejuſdemque tantam con-

convenientiam eſſe, ut ad certitudinem propemodum accedat noſtra ſententia. Quibus ita poſitis evidentiſſimum ſit præſentem vitam ſic hominibus exigendam eſſe tanquam futuram alteram vitam credentibus, nec eis per Rationem licere, ut aliter ſe gerant.

§. XII.

Noſtra ſenrentia neceſsario deducitur ex ipſa hominum natura, ſtatuque.

EQUIDEM natura intellectu prædita dignius nihil eſt, quam ut in omnibus *evidentiam* quærat, nec ad agendum impellatur niſi veras & perſpicuas agendi cauſas nacta ſit. Sed quoniam omnes res evidentiam non admittunt, in quibus tamen rebus neceſſario ſequendæ ſunt alterutræ partes, miſerrima certe ſors foret hominum, ſi antequam agerent, expectanda ſemper illis eſſet accuratiſſima demonſtratio. Qui ſummum certitudinis gradum nequit aſſequi, in inferiore conſiſtit, & in magna veriſimilitudine ſufficiens agendi cauſa eſt, niſi potior ſit contraria ratio. Veriſimilitudinis autem partes quamquam non ſint evidenter certæ, veriſimilitudo tamen *certa & evidens Regula* eſt, cui adhærendum idcirco ſit, quia iſtud requiritur per humanarum rerum conditionem.

Atque hæc noſtra ſententia neceſſario deducitur ex ipſa hominum natura ſtatuque. Quoniam enim circumſcripta eſt hominum mens, & tamen neceſſe habent agere, ſi nunquam aliis quam certiſſimis, non au-

autem ſæpe probabilibus cauſis ad agendum impellerentur, conſequens eſſet horum alterutrum, ut homines vel minus probabiles nec veriſimiles partes amplecterentur (quam ſententiam nemini puto acceptam fore) vel iidem homines vitam degerent fere ſemper dubii, animi pendentes, huc & illuc fluctuantes, torpore deſides, nihil aggredientes, vel quarumvis in agendo regularum expertes, unde funditus everteretur totum humanitatis ſyſtema.

§. XIII.

Convenientiæ vel probabilitatis ſequendæ obligationem nobis Ratio injungit.

In univerſum igitur omnino cum Ratione conſentit, ut ubi deficit evidentia, ibi convenientia & probabilitas agendi Regula fiant: quæ Regula multo eſt adhuc rectior & magis neceſſaria in iis peculiaribus cauſis, in quibus, ut jam dictum eſt, nullum apparet in ſequenda probabilitate periculum. Ubi nullum eſt damnum, ſi erres; multum autem lucrum, ſi non erres; qua potiori cauſa ad convenienter agendum potes impelli? Tum hoc præſertim verum eſt, ſi te gravi periculo commiſeris malas ex errore partes amplexus, ex quibus, etiamſi forſan bonæ ſint, nihil tamen percipias emolumenti. Quibus ita poſitis, nihil eſt quod in eligendo ulterius deliberetur. Præcipit Ratio ut tutiores partes ineantur, quarum ineundarum obligatione adſtringimur, quæ obligatio eo validior eſt, quod pariatur ex cauſarum coagmentatio-

ne, quæ cauſæ nullis aliis potioribus vel æqualibus cauſis aut impugnantur aut debilitantur.

Uno verbo, ſi cum Ratione conſentiat, ut quas dicimus partes amplectamur, quamquam penitus incertas; quanto magis amplectendæ ſunt ſi ſint aliquatenus probabiles; tum hoc neceſſarium fit, ſi multis gravibuſque probabilibus cauſis urgeamur: ac tandem harumce partium obeundarum augetur adhuc neceſſitas, ſi quidquid contigerit, partes hæ manifeſto tutiſſimæ, & utiliſſimæ ſint. Quid igitur præterea deſideres ad pariendam veram obligationem, juxta principia quæ nobis conſtituta ſunt de interiori obligatione quam nobis Ratio injungit? (*a*)

(*a*) Vid. *Part. I. Cap. VI.* §. 9. & 13.

§. XIV.

Quas dicimus partium amplectendarum obligationem nobis Deus ipſe præcipit.

Neque omnia diximus. Nam quam memoramus interiorem & primigeniam obligationem, hæc ipſius Dei voluntate firmatur, unde illi tanta vis ineſt, quanta major non poteſt ineſſe. Enimvero quam dicimus agendi & judicandi rationem quoniam profluit ex noſtra natura qualem nobis illam ipſe Conditor indidit, vel ex hoc uno veriſſimum argumentum colligitur eam Dei voluntatem eſſe, ut juxta ejuſmodi principia nos geramus, quod quidem jubente Deo hominibus incumbit OFFICIUM. Etenim, id quod ſuperius adnotatum eſt, (*b*) quidquid eſt in natura hominis, quidquid ex hac hominis

(*b*) Vid. *Part. II. Cap. IV.* §. 5.

minis natura & primigenio ſtatu conſequitur, illud aperte & nitide divinam voluntatem oſtendit, & quemadmodum velit Deus homines facultatibus ſuis uti, & quo illos obligationum genere conſtrinxerit. Quod operæ pretium eſt attendiſſe. Namque ſi vere dici poſſit, & erroris ſecluſo periculo, eam revera Dei voluntatem eſſe, ut homines mortalem hanc vitam degant tanquam futuram aliam vitam credentes, quibuſque omnia ſint a Deo vel ſperanda vel timenda, prout his in terris coluerint virtutem aut vitio indulſerint, nonne hinc futuræ alterius vitæ pluſquam probabile naſcitur argumentum, & certa eſſe quæ in hac altera vita virtuti prœmia aut vitio pœnæ demandatæ ſunt? Alioquin dicendum foret homines ab ipſo Deo in errorem induci, quoniam hic error neceſſarius erat ad ejus conſilia exequenda, & ex illo errore pendebat quod propoſitum Deo fuit hominum & humanæ ſocietatis ſyſtema. Sed nonne pariter abſurdum eſſet impiumque ſermonem illum habere de natura perfectiſſima, cujus Potentia, Sapientia, & Benignitas nullis limitibus definiuntur? Etenim vel ex hoc ipſo quod homini neceſſarium ſit vitam futuram credere, & hæc fides cum Dei propoſito cohæreat, certe cui vita futura creditur, non poteſt is in Errore verſari. Hæc autem proculdubio Veritas eſt, quidquid jubente Deo, aut ſit Officium, aut cum Ratione consentiens instituendæ vitæ principium.

§. XV.

Igitur omnimodo cauſarum genere Naturalium Legum firmatur auctoritas: 1. Eis Ratio ſuffragatur; 2. illas diſerte præcipit Deus; 3. illarum cultus veriſſimas his in terris utilitates ſortitur; ac deinde prout quis Naturales Leges vel coluerit, vel reſpuerit, ei merito ſunt vel ingentia prœmia ſperanda, vel graviſſimæ pœnæ in futura vita pertimeſcendæ. Atque ſic Deus tot tamque validiſſimis nodis homines ad virtutem alligat, ut quicumque Rationem conſulit, eique obſequitur, ipſe ſe ineluctabili ſentiat obligatione constrictum nunquam non virtutem colendi.

§. XVI.

Quod jam per ſolum Rationi lumen adeos eſt probabile, omnino fit evidentiſſimum quia divinitus referatum.

Nos quis forte dixerit Naturalium Legum ſanctionis diutius immoratos. Equidem qui de Naturali Jure ſcripſere, non ita fuſe de hoc argumento plerique diſputarunt; & ipſe Puffendorfius materiam hanc nonniſi leviter attigit. (1) Scriptor ille, quam-

(1) Videre eſt in opuſculo, cui titulus: *Anonymi judicium* &c. quod opuſculum, adjectum eſt ad calcem quintæ Editionis *Offic. Hom. & Civ.* quibus exprobrationibus hujus opuſculi auctor *Leibnitzius Puffendorfium* inſectetur. *Barbeyracius*, qui ſuas adnotationes *Leibnitzii* opuſculo addidit, *Puffendorfium* habet excuſatum non ſic inſulſas rationes proferens. Nihilominus emunctæ naris Lector intelliget aliquid adhuc deſiderari quo ſe omnino *Puffendorfius* tueatur, cujus quidem in hoc argumento claudicat ſententia,

quamquam ex hujus noſtræ ſcientiæ ſtudio futuræ vitæ conſiderationem diſerte non rejiciat, attamen hac præſenti vita totum Naturale Jus videtur circumſcribere, utpote quod jus eo unice reſpiciat, ut ad ſocietatem idoneus fiat homo. (*a*) Fatetur nihilominus innatam hominibus eſſe æternitatis cupiditatem, unde crediderunt Ethnici immortalem animam eſſe, quæ præterea fides ex eo ſuam auctoritatem hauſit, quod remotiſſimis temporibus credita ſit Ultrix Deitas. Quibus addit PUFFENDORFIUS multam revera exiſtimandi cauſam apparere violatas Naturales Leges a Deo quandoque ulciſcendas eſſe, cujus tamen opinionis veritas ſibi videatur ſubobſcura, nec rem aliter poſſe certam evadere, niſi divino afflatu innoteſcat. (*b*)

Sed noſtra quæſtio etiamſi probabilis tantum eſſet, non tamen ex Naturali Jure ſecludenda omnis futuræ vitæ conſideratio; ac præſertim ſi futura vita ſit ita probabilis, ut ad certitudinem accedat. Porro futura vita neceſſario requiritur in Naturalis Juris ſyſtemate, cujus eſt adeo præcipua pars, ut ſecluſa futura vita Naturalium Legum auctoritas non parum labefactaretur, ut jam demonſtravimus, ac difficillimum fieret, ne dicam impoſſibile, plurimorum ſummi momenti officiorum veritatem

(*a*) Vid. *Puffend. Præfat. de Offic. Hom. & Civ.* §. 6. 7.

(*b*) Vid. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III.* §. 21.

tem aſſerere, quibus tamen officiis cogimur ſocietatis utilitatem & Juris ac Juſtitiæ propugnationem maximis noſtris commodis anteponere. Igitur neceſſarium erat non ſegniter indagare quouſque ſolius Rationis ope futura vita innoteſcat, & in aperto collocanda fuit argumentorum vis ex Naturali Lumine deductorum, ac tandem dicendum erat quantum his eiſdem argumentis mens affici debeat in inſtituenda vitæ ratione.

Equidem divinæ voluntatis hac in cauſa dignoſcendæ non alia potior ratio eſt, id quod ipſi fatebamur, quam diſerta ipſius Dei ſignificatio. Quod hujuſmodi peremptorium argumentum ſimplici Philoſophorum jure ratiocinantibus non licuit uſurpare: ſed quoniam & Chriſtiani Philoſophi ſumus, nihil obſtat, quominus id quod jam Ratio conjiciebat Revelatione confirmetur. Ac ſane nihil certius arguit recte nos & ratiocinatos & in noſtris conjecturis non aberraſſe, quam de re tanti momenti perſpicua Dei ſignificatio. Nam quoniam ipſo facto liquet velle Deum in altera vita virtutem prœmiis, improbitatem vero pœnis afficere, jam illud quod dicebamus in dubium nequit revocari, nimirum futuram vitam cum Dei ſapientia, benignitate, & juſtitia omnino conſentire. Quæ autem ex hominis natura, ex præſenti rerum conditione, ex illa ſapientia & æquitate quibus hic orbis Deo adminiſtratur, ejuſdemque Dei in homines propoſitis deducta ſunt nobis argu-

men-

menta, non illa quidem imaginandi vis, aut deluſus noſtri ipſorum amor, ſed RECTA RATIO peperit dictavitque. Rationi autem adjuncta *Revelatio* in omnimoda & evidentiſſima luce conſtituit quod jam ſolo naturali lumine tam probabile videbatur.

Cæterum quod hìc advertimus non ſolum ad Naturalium Legum ſanctionem, ſed & ad omnes hujus operis partes attinet. Nec vero nobis non poteſt dulciſſimum eſſe illa quæ poſuimus principia deprehendi omnino eadem quibus Doctrina Chriſtiana innititur, quibuſque totum Religionis & Diſciplinæ Moralis ædificium ſuperſtruitur. Quæ cum ita ſe habeant, hinc principiorum noſtrorum veritas confirmatur; certiores enim ſimus deprehenſum nobis eſſe verum Naturæ ſyſtema: illinc ſic afficimur ut ſummopre *Revelationem* ſuſpiciamus, qua penitus Naturale Jus confirmatur, & Moralis Philoſophia in Doctrinam vertitur religioſam, omnium captui accommodatam, factis comprobatam, Dei tum auctoritate, tum promiſſis manifeſto ſuffultam, & ea ratione declaratam quæ aptior eſt hominum animos commovere. RATIONI autem & REVELATIONI ex mutuo ſuo felicique conſenſu accedit idem decus.

FINIS.

ANT 1318134

Digitized by Google

Digitized by Google

XVII
C 2